

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Quistorp Johannes Henricus Wagenerus

Disputatio Theologica De Ecclesia Militante

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73781814X>

Druck Freier  Zugang



Vert.:

- (1) A. Wicke
- (2) H. Kröger
- (3) J. H. Wagnerius

Joh. Gustavus
R. u. theol. 1643.

467

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
**ECCLESIA
MILITANTE**

Quam

Divinâ adspirante gratiâ
Permissu Venerandæ Facultatis Theologicæ

In Celeberrimâ Academia,
ROSTOCHIENSI,

PRÆSIDE

Admodum Reverendo, Clarissimo & Excellentissimo
VIRO

DN. JOHANNE QUISTORPIO,

S.S. THEOLOGIÆ DOCTORE ET PROFESSORE
Celeberrimo, Facultatis Seniore Dn. Præceptore,
Fautore & Promotore suo summâ animi obser-
vantia prosequendo,

Publicæ Doctorum Examini subjicie

M. JOHANNES HENRICUS WAGNERUS,

Cellâ Lunæburg:

*In Auditorio Majori ad diem 7. Octobr:
horis à 7. matutinis.*

16(0)90

ROSTOCHII,

*Typis expressa NICOLAI KILII, Acad. Typeg.
ANNO M. DC. XLIII.*

1643

АГРЕГО^Е
ЭТИАНИМ





Sūn Jē̄s.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

ECCLESIA.

THESIS I.

Si piorum sortem ab ipsis mundi natibus probè consideremus, & qualis omnibus temporibus fuerit, paulò altius memoriam repetamus: deprehendemus sanè, nunquam eam ita felicem fuisse, quin subinde & hostes habuerit gravissimos qui pios extinctum iverunt; & haereticos, qui fundamenta fidei convellentes, alio itinere quam à Christo monstratum fuit ad salutem contenderunt; adeò, ut quod de singulis piis poëta cecinisse:

Nunquam bella piis, nunquam certamina desunt

Et quo cum certet mens pia semper habet;

Id verius de universo Ecclesiæ systemate dici possit, hāc præsertim ultimā mundi senectā, quā plurima ejus membra exiliis, paupertate & morte multantur, immo adversitates & difficultates, quas singulis seculis sustinuit, conjunctim, uno quasi impetu facto jam confluunt, & in ipsius perniciem conjurasse videntur.

II. Verū enimverò licet Ecclesia ab ipso humani generis ortu vim extrinsecus passa sit & jam patiatur maximam, non tamen succubuit prorsus neq; succumbet. In ipso mundi principio sanguine Abelis, primi veritatis coelestis confessoris, dedicata, sape postea interitura planè visa fuit. Noes, justitiæ divinæ præco, surdis diu auribus locutus, toto quidem mundo vindicem veritatis pietatisq; studiosum neminem reperiebat; nihilominus solus ipse cum septem animarum familiâ inestimabilem hunc servabat thesaurum, pereunteq; universo mortalium genere insuperabili hāc Divā lætus

A

tus

tus triumphabat. Magnus Vates Eliás, deletos Prophetas Israëlis, se solum supereret, cuius jugulum quotidiè peteretur, ingemiscebatur. At oraculo docebatur servasse sibi æternum Numen septem millia genuum, Baali, mendaci D E O nunquam incurvata; ita, ut semper aliqui extiterint, qui, quantumvis tutam & tranquillam sedem in fluctuosisimo hujus mundi salo non habuerint divinā tam virtutē omnem vim injuriamq; externam superarunt, neq; vero D E I cultu ullis molestiis aut difficultatibus sese abduci passi sunt, quod omniō non nisi summae D E I bonitati & clementiæ acceptum ferri potest, qui hominum sibiq; adhaerentium partibus nunquam defuit. Nec dubium est, quin sicut D E U S hactenus semper sibi cœtum quendam in se se creditum reservavit, ita porro ad finem usq; mundi eundem sit reservaturus.

III. Hujusmodi cœtus Ecclesia vocatur, de quâ Ὡραῖοι quan-
dam in præsentia instituturi, rectissimè officio nostro defunctū
videmur, si quatuor capitibus seu membris eam pertractemus, ex-
posituri cum DEO i. Quid & qualis sit Ecclesia: 2. Quæ ejus cognos-
scendæ Notæ. 3. Quæ autoritas: 4. deniq; quod Regimen.

IV. Notetur autem hic nos in præsentia potissimum agere de Ecclesiâ militante visibili, & quidem cum primis de illâ, quæ est Novi Testamenti; invisibilem enim, hoc est, collectionem illorum, qui verè credunt, & finem fidei, animatum nempe salutem assequuntur, utpote humanis oculis imperviam, DE O relinquimus.

V. Ecclesia hæc visibilis est cœtus vel congregatio hominum docentium & dissentientium verbum DEI, & utentium Sacramentis, quos sub capite Christo in hæc vitæ coniungit vel fides vel certe fidet professio.

VI. Hæc quandoq; latior diffusa, per Asiam, Africam & Europam dispersa (quod ex historiâ conversionis gentium peti potest) quandoq; propter tyrannicam & eam opprimentium sævitiam, falsorum doctorum deceptiones, & DEI Verbi sui contemnum vindicantis, justum judicium angustioribus terminis inclusa fuit.

VII. Definitum est Ecclesia, πνευματική ἡ εκκλησία h. e. ab evocando nomen habens, q. d. evocationem, & optimè quadrat coetui ex mundo (quorsum spectat particula εἰς) à DEO ad regnum Filii sui evocato (quod innuit verbum ἐγέλειν.) Hebrai vocarunt קָרְבָּן à radice קָרַב id est, convocatus fuit (unde quidam per

per contractionem græcam vocem καλεῖν deducunt) & קָלַע i. e.
cœtus cœsto tempore congregatus.

VIII. Græca verò vox (Εὐκλησία) olim apud Athenienses usitata fuit; nominarunt enim illi cœtum civiam, qui voce præconis è reliquâ turbâ quasi nominatim evocabantur ad concionem, vel ad audiendam Senatus sententiam. Hinc Scriptores sancti nomen hoc mutuò sumserunt, & ad sanctiorem usum transluserunt, idq; aptissimè. Nam qui ad veram DEI Ecclesiam pertinent, non fortuitò neq; casu, nec propriis viribus freti ad illam confluunt, sed vel immediate à DEO, vel mediately voce præconum verbi ex hoc mundo ad regnum DEI evocantur. Atq; hinc congruenter naturæ & convenienter rei verbum illud נִקְרָא extat in conjugatione primâ passivâ Niphal, sicut & alia: יִשְׁבַּנְתֶּן juravit, בָּנֵי Prophétavit חֲרֹב pugnavit, יִשְׁכַּנְתֶּן incubuit חֲנָנֶה consolatus est sc, &c; ut in dicetur, quemadmodum nemo nisi à D E O aut D E I vicariis jussus, vocatus, adjutus &c. hæc omnia feliciter præstare potest; ita etiam hoc, ut aliquis verum ac vivum Ecclesiæ fiat membrum, à sola gratiâ divinâ dependere non à nostris viribus.

IX. Colligit sibi Ecclesiam hanc Christus per doctrinam Verbi sui, ex cuius auditu nascitur fides salvifica, & administratio n. Sacramentorum, quibus illa augetur confirmatur & ob-signatur. Nam sicuti Resp: quædam per leges constituitur & stabilitur, & cum constituta fuerit, operam dat, ut leges conserventur, iusq; obedientia à subditis præstetur; ita quoq; Ecclesia, quæ quasi Resp. quædam Christiana est, in quâ homines ad summum suum bonum perveniant, colligitur per verbum & Sacra menta, in quibus (sicuti in legibus est η σωτηρία τῆς πλεων) salus & in columitas est Ecclesiæ. Per hæc enim homines mortui vivificantur, cœci illuminantur, ad DEUM convertuntur, fide douantur, & in eadēm confirmantur. Et quia in omni conversione sunt duo termini prior à quo; posterior ad quem, ille est regnum Diaboli, potestas tenebrarum, vana mundi conversatio &c: hic est regnum Filij DEI, in hæc vitâ, gratiæ; in alterâ, gloriæ.

X. Utitur verò DEUS in hæc Ecclesiæ collectione operâ &

A 2

mini-

ministerio illorum, qui verbum annunciant & Sacra menta adminis-
trant, quos ministros Verbi appellamus. Possent etiam vocari Ma-
gistratus, in Ecclesiâ, voce latius sumatâ. Nam quemadmodum In
Repub. Magistratus, quidquid habent potestatis & auctoritatis, à
summâ, quæ superiorem nō agnoscat sive majestate id acceperunt,
& legibus alligati sunt, quas suâ auctoritate ferre aut abrogare non
possunt: sic quoq; in Ecclesiâ ministri Verbi à Christo dependent,
& Verbo, quod continet articulos fidei, quos vice legum esse dixi-
mus, alligati sunt, ut ei nec addere nec demere ullo pacto debeant,
neq; ab eo ad dextram vel sinistram deflectere. Unde patet, au-
toritatem docentium in Ecclesiâ dependere à Verbo, eoq; inferio-
rem esse, ita ut non possint aut debeant articulos fidei vel ferre, vel
mutare, vel etiam abrogare. Quæ vero germana sit auctoritas do-
centium, sive quænam sint genuina ministrorum Verbi officia, non
est hujus loci, nec instituti nostri hîc exponere. Nos hîc breviter
saltem considerabimus, quæm ordinem habeant docentes inter se in
Ecclesiâ, vel quomodo unâ cum discentibus Ecclesiam consti-
tuant.

XI. De hoc Paulus. I. Cor. 12. v. 28. *Alios constituit DEUS in Eccle-
siâ primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertìò Doctores, deinde virtutes
deinde dona sanationum.* Et Ephes. 4. v. 11. Dedit alios quidem Apostolos
alios Prophetas, alios Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores.
Nempe, Apostolos Dominus nominavit duodecim illos Luc. 6. v. 13.
quos constituerat ut secum essent, & ut mitteret eos ad prædicandū, &
ut haberent potestatem sanandi morbos & ejiciendū dæmonia: Marc. 3.
v. 14, 15. Atq; hos eā potestate instructos postea misit, ut prædicar-
rent regnum DEI & sanarent infirmos: Luc. 9. v. 1. & 2. Post re-
surrectionem idem officium denuò demandavit, vide Matth. 28. v.
18. 19. 20. Marc. 16. v. 15. 16. &c.

XII. Ult autem officio suo rectius fungi possent idq; majori
cum fructu & utilitate exequi, instruxit eos donis miraculorum, &
præcipue die Pentecostes induit eos virtute ex alto, ut loquerentur
variis linguis: Actor 2. v. 4. Quin & alii per ipsorum ministerium
ad fidem adducti visibilibus Spiritus S. donis exornati fuere! Actor:
8. v. 17. miracula patrarunt, & linguis locuti sunt, Actor 10. v. 46.
&c. 19. v. 6. Verum hæc fuerunt in primitivâ & adhuc nascente
Ecclesiâ,

Ecclesiā, quippe opus tunc erat, ut peculiari quādam auctoritate, vi & virtute initium fieret Ecclesia N. T. & aboleretur Synagoga & Judaismus, & vocarentur & converterentur gentes. Ipsi autem Apostoli, constituerunt presbyteros per singulas Ecclesias; Acto. 14. v. 23. Tit. 1. v. 5^o qui idem erant cum Episcopis, ut colligere licet ex Acto. 20. v. 17. & 28. Tit. 1. v. 5.7.

XIII. Ex his proba consideratis facile patescit: ipsos ministros Verbi per quos Christus Ecclesiam sibi colligit & conservat, in duplice esse differentia: nemps, alias *Ordinarios* h. e. quos omni tempore in Ecclesiā oportet esse, & sine quibus Ecclesia esse non potest: alias *Extraordinarius*, quos ad certum tempus ob peculiares quasdam rationes DEUS existere voluit. Apostolos itaq; ad certum duntaxat tempus esse voluit, ut Ecclesiam fundarent. Hac enim, ratione illi Apostoli fuerunt, quā ratione nemo illis succedit. Idem sentimus de Prophetis, donis sanationum & linguis, quæ dona ob certas causas & ad certum tempus DEUS in Ecclesiā vigere voluit. *Ordinarij* verò ministri in Ecclesiā sunt Pastores & Doctores, Presbyteri ab ætate, & Episcopi ab officio dicti. Hi quidem omnes Apostolis succedunt non quatenus Apostolis sed quatenus officio ab Apostolis ad se derivato funguntur. Hoc itaq; respectu omnes Episcopi & Presbyteri inter se pares sunt, sicut Apostoli ipsi neq; jure divino ullus alteri prælatus est.

XIV. Cùm autem fides Verbo & Sacramentis excitetur & confirmetur; & amittatur, si illa negligantur, aut peccatis opera detur, hinc duo videntur ministrorum præcipua esse officia: *Unum tractandi Verbum & Sacraenta, alterum, advertendi in mores & vitam auditorum.* De hoc officio Ezech: 3. v. 17. *Fili hominis, speculatorum dedi Te domui Israël,* &c. & Paulus 1. Tim. 5. v. 20. *Eos qui peccant, in conspectu omnium argue, ut & reliqui metuant.* Utrumq; complexus est Petrus. 1. Epist: c. 5. v. 1. 2. 3. & Paulus Acto: 20. v. 28. & 2. Tim. 4. v. 2. Hinc manifesta ratio instarum appellationum: *Pastores*, sc. dicuntur, quoniam gregem doctrinā verbi pascant, & ejus curam habeant, sicut ovium pastores. *Presbyteri* dicti sunt propter ætatem, quod non facile juvenes ad hujusmodi functionem deligerentur. *Episcopi*, propter inspectionem & gubernationem. *Doctores*, propter manus docendi, ob quam causam etiam

Evangelistæ. Actor: 21. v. 8. Ephes: 4. v. 11. 2. Tim. 4. v. 5. nec non
Prophetæ. Cor: 14. v. 29. 31. 32. Actor: 15. v. 32 Doctorum au-
tem munus latissimè patet, eorumq; varia sunt differentiæ secun-
secundum varia dona, quibus eos instruxit Spiritus ad utilitatem Ec-
clesiæ distribuens privatim singulis, ut vult: 1. Cor. 12. v. 7. & 11. Præ-
ter duo præcipua modò dicta, tertium Presbyterorum officium est;
externum Ecclesiæ ordinem, ceremonias, & ritus ita instituere &
moderari ut omnia fiant ad edificationem decenter & ordine: 1 Cor:
14. v. 26. & 40. Hinc præesse dicuntur 1. Tim. 5. v. 17. πρεσβύτεροι
πρεσβύτεροι. Potrò, successu temporis factam est. ut Episcopi no-
men peculiariter tribueretur illi, qui reliquis præcesset, ita tamen, ut
hic saltem peculiare quid obtineret præ reliquis, quoad potestatem
externam, gubernationem nempe & inspectionem in vitam & mo-
res ipsorum presbyterorum. Atq; hæc prærogativa sive dignitas eti-
am à primitiva Ecclesiæ non videtur suisse aliena; hujusmodi enim
locum sine dubio habuit in Ephesinæ Ecclesiæ Timotheus, ad quem
Paulus: Adversum Presbyterum accusationem ne accipito, nisi sub
duobus aut tribus testibus. Et in Creteni Titus Nempe, ratione
ætatis aut eruditionis aut, aliorum donorum hæc dignitas ordinis
& externæ gubernationis aliquibus concessa est. Postea deniq; fa-
ctum est, hodieq; nonnullis in locis usu jam venit, ut non tantum
presbyteris singularum Ecclesiaturum unus præficiatur, qui Episco-
pus vel superintendens dicitur, sed Episcopis ipsis Archiepiscopi,
& inter hos primatus concessus Patriarchis. Et quia hæc faciunt
ad ordinem & decorum, & Ecclesiæ gubernationem externam, in
pace & concordia commodiùs administrandam à nemine impro-
bari possunt nec debent, dummodo tamen absoluta necessitas &
jus divinum constitutionibus humanis non affingatur, ut omnes,
quæ ad ea, quæ propria & præcipua ministrorum Verbi sunt, pares
esse concedantur.

XV. Ex jam autem dictis obscurum esse non potest, quædam ta-
lia Ministrorum esse officia, ut sine iis omnino Ecclesiæ esse non pos-
sit alia verò spectare ad bene esse Ecclesiæ, atq; hinc orationem tam
distinctionem ministrorum, quorum usus est in Ecclesiæ. Et
quæ haec tenus diximus, ut plurimum spectant ad eos sine quibns Ec-
clesia esse non potest, nisi quod παρεγγέλως ostendimus, ex institu-
tione

tione humana presbyteris accidere, ut ratione habitâ extermi ordinis & dignitatis alij eorum sint Episcopi, alij Archiepiscopi. Hoc autem ad Ecclesiam, quando floret & copiosa est, bene esse spectat potius, quam ipsum esse.

XVI. Hi itaq; de quibusjam diximus, Ecclesiæ doctores & Verbi ministri, quando Ecclesia consideratur ut domus DEI, ipsi sunt ēκκορδοντες, seu ὄικοδόμοι, καὶ οἰκενόποι, Matth: 21. v. 24. 1. Cor: 4. v. 1. 1. Petr. 2. 7. confert & Matth: 13. v. 52. 1. Cor: 3. 9. 10. 12. 14. In DEI γεωργίῳ sunt Ἰησοῦς οὐρανοὶ, 1. Cor: 3. v. 9. ἄγγελοι, Apoc. 2. 1. & c. 3. v. 1 &c. Per hos suos servos vocat DEUS serio omnes homines, seu totum genus humanum ad cœlestes nuptias, Matth: 22. v. 3. ad magnum convivium, Luc: 14. v. 16. 17. ad regnum. Matth: 10. 7. Luc: 12. 32. ad lucem, Acto: 26. 18. Coloss: 1. 10. 1. Petr. 2. 9. nec tantum DEUS καλεῖ, Rom: 8. 30. 1. Thess. 2. 12. c. 4. 7. sed & παρεγγάλει, 2. Cor: 5. v. 20 imò quandoq; ἀραγόγει, Luc: 14. 23.

XVII. Quia verò non omnes gratiam oblatam sibi applicant, Verbum contemnunt; neq; omnes sacramentis dignè & ritè utuntur, hinc adeò fit, ut in externo Ecclesiæ coetu pars quædam sint electi ac verè credentes: & pars quædam non sancti, qui, quia fidetarent, vel ab eādem ante vitæ finem desciscunt, damnantur. Quanquam enim Ecclesia propriè sit congregatio sanctorum & verè credentium: tamen in hac vitâ multi sunt, eandem veritatem & profitentes, sed hypocrita & mali.

XVIII. Probant hanc honorum & malorum mixturam in Ecclesiæ coetu visibili I. dilucida Scripturæ testimonia; Rom: 2. 28. c. 9. v. 6. 1. Cor: 11. 19. Acto: 10. 30. 1. Joh 2. 19. II Exempla, fuerunt enim in eādem Ecclesiâ Abel & Cain, Gen: 4. David & Saul, 1 Sam: 17. 18. & seqq. cap. Christus & Pharisei &c: aliaq; plurima. III. Ecclesiæ cum Zizaniis, aliisq; rebus, in quibus bona mixta sunt malis, instituta comparatio Matth: 13. v. 24. & seqq. videantur etiam loca Matth: 3. 12. Joh: 13. 10. 2 Tim: 2. 20. Matth: 25. 1. 2. & 32. Joh: 15. v. 1. & seqq: Atq; adeò hic locum habet illud Bernhardi effatum: *Tria sunt loca: Cælum, infernus, terra, & habent singula suos habitatores: Cælum solos bonos, infernus solos malos, terra mixtos.*

XIX. Mali autem qui sunt in Ecclesiâ, duum sunt generum
vel

vel enim tales sunt respectu doctrinæ, vel respectu vitæ; seu, vel fidem simulant, ut hypocritæ, vel eandem abnegant, quod fit vel erroribus in articulis fidei fundamentalibus, ut hæretici, vel malis moribus seu factis, ut improbi, flagitiosi. Plerumq; verò ubi scelerata agitur vita, ibi corrupta quoque traditur doctrina, nempe offendens Deus gratiam suam subtrahit, & recedit ab hujusmodi hominibus Spiritus S. atque ita sibi relicti in laqueos Satanæ incident, à veritate aberrant, & ea quæ falsa sunt, amplectuntur. De his Paulus i. Tim. 3. 2. & seqq. Erunt homines, sui amantes, avari, glorioſi, superbi, maledici, &c. & Tit. 1. 16. Deum profitentur se scire, sed factis negant, cum sint abominandi, & contumaces, & ad omne opus bonum rejectanei.

XX. De hæresibus quædam h. l. erunt notanda. Ita verò Paulus de illis loquitur, i. Cor. iii. v. 19. Oportet hæreses inter eos esse, nempe quia Satan nec quiescit unquam, nec mutatur hominum malitia: DEUM tamen suā providentiā, quæ mala sunt, in finem bonam dirigere, ostendit, cum ait: Ut, qui probi sint, manifesti siant inter eos. Ad hoc igitur hæreses sunt, ait Tertullian: de præscript: adversus gentes: ut fides habendo tentationem haberet etiam probationem.

XXI. Causæ verò, quibus homines ad hæreses introducendas vel amplectendas inducantur, præter externam & generalem illam, nempe malitiam Satanæ, variæ & multiplices sunt ex parte ipsorum hominum. Ab ipsis enim ambitio, alios invidia ad res novas molendas impellunt: illi volunt videri quod sapient, istos aliorum auctoritas aut dignitas non sinit quiescere. Hinc August: alicubi dicit: Amor sui Babylonem & confusionem edificat. Et idem lib: 2. de Gent: contra Manich: c. 8. Ambitionem matrem omnium hæresium appellat. Et Bernhard: serm: 65. super Cant: Omnibus una intentio hæreticū semper fuit, captare gloriam de singularitate scientiæ. Conferatur historia Ecclesiast: & Exempla videantur: Arrii, Novatii, Marcionis, Meletii, Nestorii, Carolstadii &c.

XXII. Recte autem Augustin: Epist: ad Quod vult DEUM: Non omnis, (inquit) error hæresis est, quamvis omnis hæresis, que in vitio ponitur, nisi errore aliquo, hæresis esse non posse. Quid ergo faciat hereticum, regulari quædam definitione comprehendendi, sicut ego existimo, aut omnino non potest, aut difficillime. Recte, inquam, monet

net August. quod non omnis error circa doctrinam Christianam hæresis sit, nam alioqui discipuli Christi de regno ipsius minus commode statuentes hæretici fuissent. Quum igitur, circa crimen hæretos circa doctrinam Christianam errare contingat, inde difficultas definendi quid propriè sit hæresis vel hæreticus.

XXIII. Nobis Hereticius esse videtur persona, in Ecclesiâ militante unum aut plures articulos fidei fundamentales pertinaciter oppugnans. Hæreticum ergo hæc tria faciunt: error in fundamento, convictio, contumacia: seu, ut Angust. lib. 18. de C. D. c. 51. habet: Qui in Ecclesia Christi pravum aliquid sapient, si correcti, ut rectum sapiant, resistunt contumaciter, suaq; pestifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt hæretici sunt. Errores enim vel possunt esse circa ipsa salutis vel fidei nostræ fundamenta, vel circa modos, aut circumstantias & rationem explicandi, & similia: itemq; circa alia, quæ non sunt ipsa fundamenta. neque ea attingunt, ut ceremonias & externam gubernandi rationem. Errores prioris generis propriè putamus hæreses esse dicendos: posterioris generis errores hæreses nemo facile dixerit. Quod si vero his ita aliquis patrocinari velit, ut se à dissidentibus se Jungat, aut forte ipse ab eorum consortio excludatur, oriuntur factiones, & schismata, & ipsi Ecclesiæ multa pernicioса, quæ oriri quoque possunt ex diversitate ceremoniarum, si Ecclesia aliqua particularis alterius ceremonias damnet.

XXIV. Ab hæretico probè distinguendus est Schismaticus, quem ille fidei puritatem falsis dogmatibus corruptit; hic sententiam saltem diversam circa articulum fidei fovens, vinculum pacis, concordie, unitatis & charitatis rumpit. Hinc Angust. lib. de fide & symb: Hæretici, falsa de DEO sentiendo fidem ipsam violant. Schismatici autem discessionibus iniquâ à fraternâ charitate disiliunt. quamvis credant, quæ nos credimus. Est enim schisma separatio ubi unitate Ecclesiæ facta, circa errorem in fundamento religionis & fidei. Omnis igitur hæreticus est schismaticus. non contrâ nisi hic de uno errore in aliud, ex leviore in graviorem incidat, & pertinaciter in eo perseveret.

XXV. Non etiam omnis Schismaticus est malus, & damnandus, sed qui malam fovet causam, & rationem secessionis suæ ursa gentem

gentem reddere non potest. Hac de re ita scribit Mornæus tractatu de Ecclesia pag. 33. 34. Causa (inquit Canon) non separatio facit schismaticum. Et Clemens. Schismaticus, inquit, censendus non est, qui se à quorū cœtu sejungit sed ob pietatem aut impietatem sejunctione & schismaticate absolvit, aut schismaticum facit. Quamobrem vulgo schismaticos dicimus qui suis depravationibus legitimam' discessionis suæ causam aliis dederunt, non eos, qui coacti arripuerunt. Ita accipitur de prioribus hoc vocabulum: 1. Cor. 1. v. 10. & c. 11. v. 18. & c. 12. v. 25. de posterioribus: Joh. 9. v. 16. c. 10. v. 19 de quo loco idem ille Autor jam laudatus, sic scribit: Non inde sequitur eos, qui Christum approbabant fuisse schismaticos malos, sed eos, qui blasphemabant. Neque etiam Apostoli Schismatici mali erant ut ut à scribis & Pharisæis secederent & separarim convenienter.

XXVI. De flagitiolis & magnis peccatoribus, vita impuritate & turpitudine aliis scandalum præbentibus, sic sentimus: quemadmodum verè pii sunt in mundo, sed non de mundo Joh. 17. v. 11, 14 16. sic conträß illi improbi sunt in Ecclesiâ, ratione exterioris conversationis, non de Ecclesiâ, ratione interioris cum Christo communionis & unitatis in corpore mystico. Intetim hoc etiam addimus: Si magni peccatores sint manifesti, nec admoniti agant pænitentiam, eos esse excommunicandos; sunt enim excommunicationis causæ mediatae peccata graviora, publica, nota; immedia ta verò causa impænitentia, & post antegressas admonitiones à me Gavóni, Matth. 18. v. 17:

XXVII. Antequam de Subjecto Ecclesiæ ad ejusdem divisionem transeamus, unam questionem, quæ occasione antè dictorum moveri hic posset, examinare prius placet: Anne sc. Hæretici ita è communione Ecclesiæ tollendi sint, ut necentur? Cujus sententiam negativam amplectimur; mentem verò nostram ita explicamus: Hæretici alii sunt quieti, qui dicuntur communis nomine hæretici simplices: alii turbulenti; qui dicuntur hæresiarchæ: Illi sunt errantes, hi turbantes, autores Apostasiæ. Statuimus itaque hæreticos verè & propriè dictos à pio Magistratu, (cui merito curæ est puritas & sinceritas veræ religionis) esse coercendos, ne venenum suum pro arbitratu disseminant; esse item instituendos, & si doceri reculent, erroris convicti, carcere, vel aliâ poenâ quâdam arbitriâ castigandos.

dos. Quod verò attinet *turbulentos*, qui sunt vel *blasphemi*. vel *se-ditiosi*, Ecclesiæ aut Reipubl. & publicæ tranquillitatis turbatores, illi à Magistratu pro qualitate delicti sunt puniendi, etiam pœnâ capitis, si méreantur. Negamus itaq; omnes hæreticos vulgo ita dictos, h. e. quosvis in religione errantes continuo pœnis capitalibus esse subjiciendos; quin doctores potius quam tortores adhibendos esse arbitramur, & argumenta hic plus valere quam ferramenta credimus, moti sequentibus argumentis.

XXIX. Primo, quia S. Scriptura veræ religionis seu fidei natu-ram ita describit, ut eam planè voluntariam, & ab omni violentâ coactione alienam, quin & gratuitum DEI donum esse ostendat, ad quam proinde nemo metu supplicii (nisi forte aliud quid accedit) cogendus: sed omnes potius amicè ad hanc invitandi, & argumentis non armis adducendi sunt: vide Rom. cap. i. & ro. Ephes. 2. 1 Thess. 1. & alibi passim, ubi de origine & progressu veræ fidei agitur. Deinde æquitati, mansuetudini & Christianæ, charitati quæ propria Ecclesiæ sunt virtutes, prorsus repugnat, aliorū conscientiis ullā vim externam inferre, seu quenquam ob diversam religionem corporali supplicio afficere. Matth. 5. v. 12. Joh. 13. v. 34. & 35. Rom. 12. v. 18. Esai. 11. v. 9. Et S. literæ testantur, evitando esse hæreticos non extirpando seu vitâ privandos; vid. Tit. 3. v. 10. *Hæreticum bominem post unam & alteram admonitionem repellere &c.* Ita Christus discipulos suos in mundum universum emittens, civitates Evangeliam non recipientes deseriri non deleri præcepit: Math: 10. v. 44. Zizania non eradicari sed relinquvi voluit, Matth. 13. v. 29. Samaritanos igne de cœlo descendente ad votum discipulorum exuri renuit. Luc. 9. v. 54. Tandem generalis praxis primitivæ Ecclesiæ, & communis omnium veterum consensus, qui aliquot seculis ab excessu Apostolorum floruerunt, contradicit, vide Tertul. in Apologet. Justin. & Athenagoram in scriptis apologet: Lactant. lib. 5. div. instit. c. 20. Hilarii, Nazianzeni orationes adversus Arianos scriptas &c: qui omnes istam simplicium hæreticorum, sive, in religione simpliciter errantium insectationem & lanienam improbant. Quin & ex Historiâ Ecclesiasticâ Eusebii, Socratis, & reliquorum constat, horum, aut primis illis seculis nihil durius adversus summos etiam hæreticos, licet maximè pertinaces, statutū fuisse,

quād quād ab Ecclesiæ communione simulq; officio Ecclesiastico rejicerentur, tāmet si deinde, progressu temporis relegatio in exilium & similes aliæ poenæ iisdem irrogari coeperint; donec tandem sub aperto Antichristi regno ad effusionem sanguinis deventum est, quo tempore permulti Christiani, sed opinione & præjudicio malorum Hæretici, ē medio fuēre sublati. Tantum, de hac quæstione. Nunc agendum erit de Ecclesiæ divisione & ejusdem Attributis.

XXIX. Quia Ecclesia per essentiam una est, in species, ut genus, dividi nullo pacto potest; tam enim certum est, eam unicam existere, quād DEUS unus, una fides, unum baptismum: Ephes. 4. v. 3. 4. 5. 6. interim tamen nil vetat, dare hīc quoque divisiones Subjecti in accidentia, vel adjuncta. Nam Ecclesia est nomen vel totius vel partis, & utrobique attenduntur variæ conditions, accidentia & circumstantiæ, ratione scil. 1. agnitionis. 2. ratione magnitudinis, 3. ratione temporis.

XXX. Ratione agnitionis humanæ dividitur in *visibilem* & *invisibilem*, quarum illa est ratione vocationis per prædicationem Verbi & administrationis Sacramentorum, quæ in oculos & aures incurunt, sicut & alia externa Ecclesiæ officia: Basil. Magn. in utraq; Homil. in Psal. 28. vocat ἀνθρώπους οὐράνιον h. e. sensibiles conventus, quia nempe sensibus notantur. *Hæc* (invisibilis) dicitur ita ratione interni status & formæ, quæ humanis oculis percipi non potest, sed solus DEUS certo novit, licet alii de aliis ex caritate & aliis operibus, fidei q; fructibus, probabiliter exemplo Petri 1. Epist. c. 3. v. 12. colligant (siquidem hæc sunt tantum *enōtē*, non *περιήγησα*, significantq; judicium probabile, non infallibile,, cum multi multa fingant solusq; DEUS *καρδιογνώσης* noverit cordis recessus, juxta 1. Reg. 8. v. 39. 2. Timoth. 2. v. 19. Psalm. 45. 14. 1. Pet. 3: v. 4. &c) quam tamen quisque in se potest inde demonstrare, quod jubet Paulus 2. Cor. 13. v. 5. quum Spiritus hominis noverit, quæ sunt in eo, 1. Cor. 2. v. 11. Et hæc Ecclesia, (invisibilis) est corpus illud & complementum, & Sponsa Christi, cui uni propriè conveniunt, quæcumque in Scripturis S. eximia & gloria de Ecclesiæ prædicantur; per Synecdochen autem Scripturæ usitatam referuntur ad Ecclesiæ visibilem, idque propter verè credentes qui sunt in ea: perinde

ac si quis agrum egregiis epithetis ornaret propter triticum, cui tamen multa mixta sunt Zizania; vel urbem, propter egregios quosdam cives, & viros, quibus tamen malitia & perversi sunt commixti. Ita etiam in una Ecclesiâ visibili duplex est genus hominum, unum eorum qui verè & finaliter credunt, soli DEO notum: alterum illorum qui in Ecclesiâ cœtu externo vel non credunt, vel ad tempus credunt, & tandem planè deficiunt.

XXXI. Ita quoq; in Scripturâ vocatio DEI dicitur vel respectu termini à quo, videlicet DEO vocante; quemadmodum tribus vicibus omnes sunt vocati, nempe antediluvium per Adamum, post diluvium per Noah, ejusq; posteris, & tempore N.T. per Christum & Apostolos: & ex voluntate DEI antecedente vocari debent & semper in mundo multi sunt vocati: Vel dicitur respectu termini ad quem, qui sunt homines Evangelio obedientes, & finaliter in fide per severantes, ita pauci sunt vocati, nimurum τοῦ περὶ Ἰησοῦ, Rom. 8.v.28. Non tamen hoc trahimus locum i. Cor. i. v.26. cùm ibi de vocantibus potius quam de vocatis agatur.

XXXII. Præterea circa hanc divisionem observamus: 1. quod membra ejus non sint ἀντιδιηγησέντως opposita, sed subalterna ac subordinata, siquidem invisibilis Ecclesia in visibili continetur, ut in latiori angustius: Matth: 22. v.3 & 14. & hæc per illam perficitur. II. Discrimen Ecclesiæ invisibilis & visibilis. consistit in hiscequatuor: Membra omnia Ecclesiæ invisibilis prædicta sunt 1. verâ fide, 2. puritate doctrinæ & virtutæ, 3. certitudine electionis & salutis, 4. deniq; perseverantiâ finali. At multa membra Ecclesiæ visibilis vel non credunt verè, vel saltē ad tempus credunt, suntq; vel Φαινομένως tantum pura, vel apertè impura: dubitant de salute, deniq; deficiunt sepe à fide. Sed hic discriminis respectus non impedit, quò minus Ecclesiæ visibili conveniat cum invisibili, sed ut diversa adjuncta, unum concomitantia subjectum considerantur, nec unitas Ecclesiæ hæc ratione tollitur; nam diversus considerandi modus, & varius existendi status non potest rem ipsam variare vel multiplicare: sicut esset diverso totius corporis non multiplicatur ac diversificatur Essentia; quod ex ipsis Adversariis concedunt Stapleton: in Relect: contro. l. quest: 3. artit: 6. pag. 61. & Huntlaus contr. 2. c. 6. n. 4. III. Eleemos non nisi ratione veræ fidei invisibles hominibus esse asserti-

mus, adeoq; cum eorum cōtum Pontificij simpliciter per contem-
tum vocant imaginariam Ecclesiam mathematicam, allegori-
cam &c: scopum non ferunt.

XXXIII. *Ratione magnitudinis Ecclesia distinguitur in universalem & Particularem.* Magnitudinem hanc consideramus vel in quantitatis continua specie quartā videlicet tempore, vel in quintā, puta, loco. Ita Universalis Ecclesia est, quae fuit ab initio mundi, & duratura est ad finem usq; mundi, quaeq; ex diversis populis per totum terrarum orbem per Verbum convocatur. Particularis Ecclesia dicitur quae in loco aliquo certo consistit, sive regno, sive provinciā sive urbe, sive etiam domo ac familiā: Nam & domesticæ Ecclesiæ mentio sic Rom: 16.5 i. Cor: 16.v.19. Coloss: 4. v.15. Non minus inepta igitur est oratio illius, qui Romanam Ecclesiam Catholicam esse dixerit, quām si quis prædicet Britannicum vel Tyrrhenum aut Balthicum mare cum Oceano unum & idem esse. Universalis Ecclesia à Pau- lo nominatur *Mater omnium*, Galat. 4. v. 26. Particularis in Can- tico Canticorum appellatur *Soror cap: 4.v.9. & c.8 v.8.*

XXXIV. *De Ecclesia particulari queritur, anne ea semper ita sit conspicua, ut publico gandeat exercitio eoq; nunquam destituantur?* Et quidem nos id negamus. Nam quod sāpē numero delitescat ali- cubi vera Ecclesia, ubi non datur publicum ministerium, & exerci- tium, testantur juxta cum Experienciā *Exempla in Scripturis & hi- storiis consignata: 1. Ecclesiæ Israëlitice*, tempore Achabi & Eliæ, 1. Reg:19.10.14 & 18. Ubi Elias conqueritur se solum relictum esse: at Dominus respondet: *Reservari mihi in Israël septem millia viro- rum, quorum genua non sunt curvata ante Baal.* Unde manifestum est, delitusse septem millia verorum DEI cultorum, in Israël, quā publicis conventibus, publico ministerio & publico exercitio cul- tus divini caruerint. Nam alijas Elias non potuisset conqueri, se so- lum derelictum esse. Præterea in regno Israëlico non vigebat publicē alius quām idololatricus cultus, statim à principio sub Je- roboamo, usq; ad captivitatem 1. Reg:11. v. 18. 2. Reg:17. v.12. nihilominus semper aliqui fuerunt in illo regno, qui abstinerent ab Ido- lolatria, & verum DEUM agnoscerent, ut scribit ipse Beccan: lib:1. c. 3. concl. 4. th:45. Quin & hoc extra dubium est, in ipso Anti- christi regno, & mediis Papatus tenebris non tantum in Orienta- libus

libus multis, sed etiam Occidentalibus Ecclesiis D E U M habuisse, ,
hodieq; habere veram suam & sanctam Ecclesiam. Quamvis e-
nim contagio illa & pestis curiæ Romanae Italiam & Hispaniam
occupet, non tamen dubitamus, etiam in illis regnis & provinciis
D E O colligi Ecclesiam. Etenim infantes recens baptizati, & non-
dum malitiâ corrupti, itemq; simplices illi Christiani, qui profun-
ditates Satanæ & mysterium iniquitatis nec intelligunt, nec curant,
sed Decalogum, Symbolum Apostolicum, historiam passionis
Dominicæ & pericopas Evangelicas (quarum, ut & S. Bibliorum
lectiones, suo tempore adhuc concessas, testatur Des: Erasim: Epist:
lib. 19.) sincere amplectentes, in simplicitate fidei acquiescent, &
DEI misericordiâ Christiæ; merito freti, animam exspirant, illi sine
dubio vera Ecclesiæ membra sunt; licet impuro ministerio ani-
marum suarum curam committere coacti fuerint. At vero ex im-
puro ministerio totam Ecclesiam arguere impunitatis, Donatista-
rū errore est. Vide prolixum & elegantem hâc dere discursum B. D.
Lutheri Tom: 4. Jen: pagi 320. it: Tom. 6. Jen. pag. 92. & Tom: 7,
p. 171. II. *Testantur id Exempla Ecclesiârum Christianarum tempore decem persecutionem.* Negari nequit, quod tum in multis Rom:
Imperij locis, pii & fideles in occulto latitaverint, & D E U M suum
coluerint, qui certè constituerunt aliquam Ecclesiam, tametsi ipsis
publicum religionis exercitium concessum non fuerit. Templis n.
Christianorum eversis eorumq; presbyteris & diaconis interfectis
plurimi Christiani in locis desertis & cryptis & latibulis abditi in-
venti sunt. Tempore Diocletiani Sylvester Episcop: Rom: cum suis
clericis in monte Soracte latuit, ut ipsi narrant in legendâ Sylvestri &c.
III. Ecclesiârum particularium tempore heresim, post persecutiones in-
gravescerent. Nam certè plurimis in locis veri Christiani sic op-
pressi fuere ab hereticis, qui totum ferè terrarum orbem occupa-
rant ut eos abscondi, & in solitudine oberrare, & in speluncas abstrudi
oportuerit dicente Athanas: in Epist: ad solit: vit: agent: Ita Arria-
nismus occuparat ferè totum terrarum orbem, imò gemuit totus
mundus, inquit Hieronym: in Dialog: contra Lucif. & se Arianum
esse miratus est; Et Hilar: in lib: contra Auxent: testatur; Ariano-
rum perfidiâ Ecclesiam in montes, lacus, carceres, voragini, & loca ab-
dita redactam fuisse. IV. deniq; docent id Exempla Ecclesiârum Asiae,
Africæ

Africæ & nominarum in Europâ sub jugum Turicum abductarum, quas ab Apostolorum temporibus hucusq; conservari, historiæ loquuntur: verum, quæ ipsatum sint membra, qui Presbyteri vel Discoui, non satis constat, nisi quod sub Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano Patriarchis domiciliū & sedem suam habeant. Et quid multis? Veri Christi discipuli hoc obtinent àxiā, ut semper sint persecutioni obnoxii. *Vos existeritis omnibus propter nomen meum*, ait Christus Luc. 21. 17. Persecutio sive à Leone sive à Dracone nunquam cessat Ecclesia, dicit Augustinus in Psalm. 31. Quis verò negaret, illos esse vera Ecclesiæ membra, qui tempore persecutionum privatum latitant, vel etiam nonnunquam fugiant, & se incavernis ac montibus occultant?

XXXV. De Ecclesiæ Universalis delitescentiâ gravior nobis cum Adversariis est controversia; Quæritur enim de perpetuâ ejus visibilitate, &c de solemni Sacramentorum administratione: *An uniuersum Ecclesia Universalis perpetuâ sit visibilis.* & palpabilis, ita quoniam tempore ita illustris sit & palpabilis, ut è publico religionis exercitio evidenter internosci queat. Nos statuimus: Ecclesiam errorum, schismatum & persecutionum fluctibus ita saepius agitatem esse, ut non saltem visui fuerit subtracta, sed & difficulter cognoscibilis; immo tantum abest, ut unusquisq; possit illis temporibus scire, quæ sit vera Ecclesia, ut soli prudentes rerum estimatores id vix possint dignoscere. Non enim estimari debet è multitudine, splendore & exteriore pompa, sed è religionis veritate & eum scripti: S. consensu. Quia nonnunquam privatur publico exercitio, & conservatur apud paucos quosdam in locis obscuris, ut videri non possit. Nam ut thes: præced: probavimus, Eliæ tempore Ecclesia septem millium in Israële ita latuit ut etiam Elias se solum DEI cultorem superstitem relictum esse, imprudens conquestus sit. 1. Reg. 19. 10. Similiter sub Roboamo, Joramō, Ochóziâ, Athaliâ, Joâ, Amaziâ, Achazo, Manasse, Ammone, Jaackimo, Joachimo, & Zedekiâ Regibus, Ecclesia, idolatriâ publicè dominante, & tyrannis saevientibus pressa, tanquam ignis sub cineribus latuit. Similis in N. T. Ecclesiæ calamitas pœniciatur Matth. 24. v. 11. Multi Pseudoprophetae exorientur, ac seducent multos, & v. 24. Excitabuntur Pseudo-Christi & Pseudoprophetae & edent signa magna, & miracula,

vacula, ita, ut sedueant, si fieri posset, etiam electos. Quem locum
de temporibus Antichristi explicat Hieronymus in Comment: qui-
bus Ecclesiam inconspicuam fore, & in terræ cavernis abscondi-
tam, ipsimet largiuntur Pontificij. Bellarm, lib. 3 de R. P. c. 7. Scri-
bit: *Certum est, Anrichristi persecutionem fore gravissimam, ita ut ces-
sent omnes publicæ religionū ceremoniæ, & sacrificia &c. 2. Thess. 2.
v. 3. Non veniet dies Domini, nisi venerit prius defectio, ἀποστολα,
& revelatus fuerit homo peccati.* Ubi (z.) sermo est de universalis
quàdam ἀποστολα; particulares enim jam tum & paulò post plu-
res contigerant, de quibus i. Tim. 1. v. 20. 2. Tim. 2. v. 17. c. 4. v. 10.
z. Joh. 2. v. 19. (z.) Notatur ἀποστολα non ab imperio Romano,
sed à fide; Nam ἀποστολα vox absolute in Scripturâ posita, notat
defectionem à fide, & sic describitur h. l. ut aliter intelligi non possit.
v. 10. 11. 12. præsertim cùm negari nequeat, ἀποστολa Antichristi esse
defectionem à fidei veritate: & i. Tim. 4. v. 1. expresse additur, quod
sit ἀποστολa à fide. vide etiam 2. Timoth. 3. v. 1. c. 4. v. 3. & A-
pocalyps: 12. v. 6. Ubi fatentur Adversarii, fieri posse, ut Ecclesia
aliquando non habeat publicum splendorem, statum & regimen,
nec libera sanctorum munera exercitia; quo statu certè invisibi-
lis erit, vel saltem non ita visibilis & palpabilis, ut eam semper esse
volunt Romanenses.

XXXVI. Hæc porrò Universalis Ecclesia N. T. in Symbolo A-
postolico, Niceno & Constantinopolitano vocatur UNA, SAN-
CTA, CATHOLICA ET APOSTOLICA. Una quidem,
quoniam servat unitatem Spiritus per vinculum pacis. Unum est
corpus, & unus Spiritus, sicut & vocati estis in unam spem vocationis
vestrae; unus Dominus, una fides; unum baptisma, unus Deus & Pater
omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus vobis Ephes.
4. v. 3. 4. 5. 6. Deinde etiam una vocatur, quia est sub uno capite
eam gubernante, Christo, Ephes. 1. v. 22. c. 4. v. 14. c. 5. v. 13. Colos.
1. v. 18. Ubi notetur (i.) Christum esse & dici caput Ecclesiæ nom-
nam creationis & potestatis respectu, (licet etiam ratione regiminis
Psal. 2. v. 8. Zachar. 9. v. 9. jus summæ Potestatis habeat) quām
officii mediatorii respectu, quo reconciliavit, sibi omnia, 2. Cor. 5.
v. 19. (observetur ibi emphasis verbi ἀναπλαιωθει) Coloss.
1. v. 18. Et quia ex capite corpus totum animales Spiritus, motum,

G

aliasq;

aliasq; faaultates accipit; Ecclesia quoque, quæ est corpus aliquod mysticum, motus spirituales ac ministerii efficacitatem accipit à solo Christo, nec præter ipsum ullum caput aliud agnoscit. Sicut enim in Repub. aliquâ civili, sive ordinatâ hominuū societate, ad statum Monarchicū informarâ, salvâ tranquillitate publicâ duo capita esse non possunt, qui in illam summa & plenissima jura maiestatis æquè obtineant: Ita & in regno Christi mystico non nisi unus & summus est Monarcha, nempe Christus, nec præter ipsum quisquam in his terris ullum jus in Ecclesiam sibi vendicare potest aut debet. (2.) Notetur hic Ecclesiam esse unum quid non per se, unitate indisionis, sed unum per accidens, unitate aggregationis. Datur enim in Ecclesiâ multitudo actualis, ad unitatem rediens, saltem respectivâ habitudine quâdam, ad modum entium per aggregationem. Ideò appellatur Regnum. Matth. 3. v. 2. c. 4. v. 17. Civitas. Cantic. 3. 2 Ezech. ult. v. eodem. familia DEI. Matth. 24. v. 45. Dominus DEI, 2. Tim. 3. 15. Exercitus Domini Exod. 7. v. 4. &c. Quam unitatem Ecclesiæ collectivam agnoscunt quoque Adversarii nostri Pontifici; Quamquam in eo planè absurdî sint, quod Pontificem suum Ecclesiam esse collectivam contendant. Nam quæ est, quæso, in Româno Pontifice aggregatio? forte totius Papatus, quem in se eminenter & virtualiter continet: unde in ipsum ultima omnium sit resolutio. Sed agnoscit absurditatem ipse Bellarm: ideo scribit lib. 3. de Eccles. c. 17 Una personan non potest dici Ecclesia, quum Ecclesia sit populus & regnum DEI.

XXXVII. SANCTA vocatur Ecclesia, tum propter Christum, sanctificantem. & suo sanguine ab omnibus maculis eam ablucientem, Ephes. 5. v. 26. 27. tum, quia illius Spiritu peccato mortificata, justitia vero addicta, divinis usibus est consecrata: 1. Cor. 1. v. 2. & 30. Tit. 2. v. 14. tum denique quia per Verbum & Sacra menta, quæ sunt sancta, & instrumenta nostræ sanctificationis, colligitur &c. Huc pertinent illæ appellations, quando dicitur Ecclesia Sanctorum 1. Cor. 14. v. 33. Civitas sancta. Apocal. 11. v. 2. mons sanctus, Psalm. 2. v. 6. Dan. 9. v. 20. Fit autem denominatio à posteriori, per Synecdoch. ut civitas appellatur opulenta. non quod omnes, sed quod præcipui quidam cives sint divites; ita & Academia aliqua celebris dicitur, quod primarii quidam Professores diligentiâ & scriptis famam

famam & nomen magnum ei conciliarint. Quemadmodum olim totus populus Israelicus vocabatur populus DEI cum tamen inter illum esset etiam Diaboli quædam Synagoga: Exod. 3. v. 10. c. 5. v. 10. ac passim; immo vocabatur יְהוָה i. e. rectus, licet multi in eo à rectitudine secessissent. Deuteron. 32. v. 15. c. 33. v. 5. & 26. Esai. 44. v. 2. Hæc ergo Ecclesiæ sanctitas non de externâ sanctæ fidei professione, sed interiore cordis puritate & integritate est accipienda.

XXXIX. 3. CATHOLICA vocatur, idq; vel secundariò, vel primariò; Secundariò i. respectu locorum tum quod de jure meritò in omnibus locis esse debeat; tum quod in N. T. initio ἐλωτῷ κόσμῳ per prædicationem Evangelii sit collecta: Matth. 26. 13. Marc. 14. v. 9. Coloss. 1. v. 6. & 23. 2. ratione temporis, & quidem magis de N. quam V. T. Nam in veteri T. Ecclesia ordinariè alligata erat ad unam aliquam nationem, certam gentem ac populum, sc: Israeliticum adeoq; ad unum certum locum: ita, ut ad illam congregacionem necesse habuerint sese adjungere, quicunque volebant esse membra Ecclesiæ; Et hi vocabantur ἔργον λαοῦ Actor. 1. 10. & ἀρρέπες εὐλαβεῖς, viri religiosi, cap. eod. v. 5. Qui adoraturi verum Deum eiq; Sacrificia oblaturi ascendebant Hierosolymam, sicut Aetius, Eunuchus reginæ Candaces Actor. 5. v. 27. Nam, ut habetur Psalm. 76. v. 1. *notus in Iudeā erat DEUS, in Israel magnum nomen ejus.* In Novo igitur T. ex ēv. π. Ιησοῦ vocatur Catholica, quia sine respectu, seu discrimine locorum, nationum, linguarum, populorum & personarum Christus prædicari iussit Evangelium in universo orbe inter omnes gentes, sive omni creaturæ, incipiendo à Jerusalem, usque ad extrema terræ: Matth. 28. v. 9. Marc. 16. 15. Vide Chemnit. part. 3. L. C. de Ecclesiâ. Primariò Ecclesia vocatur Catholica, respectu fidei & doctrinæ Catholicae, quæ semper ab initio mundi in Ecclesiâ sonuit & ad finem mundi sonabit, & ab omnibus fidelibus magno consensu suscipitur.

XXXIX. Non igitur Catholicum vocamus aut habemus id, quod latissimè patet, & diutissimè manet; ita enim multi errores & hæreses hujus nominis honorem sibi poscerent. Ecclesia vero, quæ est spiritualis quædam Luna, ratione lucis & crucis varia habet incrementa & decrementa, quia modò fulget formosa, ob publicum cultus exercitium, modò visitur nigra & deformata, tam hæ-

reticorum fraudulentia, quam tyrannorum violentia. Sed Catholicum nominamus id, quod consentit cum Scriptis Prophetarum & Apostolorum, & ab antiqua universalis Ecclesia semper fuit receptum. Et hoc sensu etiam particularis aliqua Ecclesia potest dici catholica, respectu nempe universalitatis internae, seu fidei & doctrinæ. Hinc Cyrillus Hierosolymitanus c. 18. Catech. Εκκλησία λέγεται καθολική, ἀλλά τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελπίδως ἀποκτένει εἰς γνῶσιν αὐτῷ πάντων ἐλθεῖν ὁ Φρέιλοντα δόγματα. Et Lactant. lib. 4. divin. Instit. c. 20. Sola Ecclesia Catholica est, qua verum cultum regnet. Ita Vincentius Lerin: aduersus haeret. c. 3. In ipsa Catholicâ Ecclesiâ magopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc enim vere proprietas catholicum, quod ipsa nominis vis ratio declarat. Et cap. 25. Ille est verus & germanus Catholicus, qui veritatem DEI, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit; qui divina religioni, qui Catholicâ fidei nihil preponit: non hominis cuiuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam: sed haec cuncta disficiens, & in fide stabilis & fixus permanens, quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit; id solum sibi tenendum credendumque decernit: quicquid vero ab aliquo deinceps uno, prater omnes vel contra omnes sanctos novum & inauditum subindaci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelligat pertinere. Hæc ille.

LX. Quænam igitur fides vel religio nomen hoc mereatur, & sibi tribuere queat ut dicatur catholicâ, facile jam patet. Cum enim nos doctrinam illam Prophetarum & Apostolorum, per totum terrarum orbem deprædicatam, & ab antiqua Ecclesiâ omnibus temporibus receptam & confessione comprobataam per omnia sequamur, jure meritoq; nostra religio seu fides Catholicâ dici potest & debet. Vulgo quidem Romana religio Catholicâ, & Romanenses Catholicî dicuntur; & sane vere Catholicâ fuit illa fides tempore Apostolorum & primitiva Ecclesiæ: at sequentibus temporibus à veritate & puritate doctrinæ Apostolicæ & Catholicæ defecit, introductis multis erroribus & erroribus, seu traditionibus humanis, quibus tanquam densissimâ nube quâdam obscurata est, ut nihil nisi nomen Catholicî remanserit. Solum vero nomen

men

men non est essentiale, nam τὸν ἀλέχεα impositionis est; & q-
mnis impositio est accidentaria, ac proinde ipsum ἀλέχεα seu
dici tale quid est, quo aliquis uti & abuti queat, & communiter ab
aliis etiam extra Ecclesiam de gentibus usurpari possit. Nam omnes
heretici se Catholicos dici volunt, ait Augustin: tom: 6. op. lib. cont:
epist: fundam: c. 4. Quin & historiae luculenter testantur, hæreses
& errores sibi plerumq; nomina dignitatis & præstantiæ sumissæ:
Unde Cyprianus ad Jabaian: Epist: 73 ait: Novatianus simiarum mo-
re, quæ cùm homines non sint homines tamen imitantur, vult Ecclesia
Catholice autoritatem sibi & veritatem vendicare, cum ipse in Ec-
clesia non sit, imò insuper contra Ecclesiam rebellis & hostis extiterit.
Sic etiam cum Donatistæ gloriarentur, se esse catholicos, respon-
sum iis est à judice, teste August: tom: 7. brevicol: Collat: cum Do-
natist: in collat: tertii diei cap. 2. quod debent laborare magi, ut re-
ipsa ostendant se esse Catholicos. Nam si factis non ostendunt te esse
Christianum, omnes verò te Christianum vocent, quid tibi prodest no-
men, ubi res non invenitur? scribit idem tom: 9. tractat: 5. in Epist: Jo-
han: Simon Magus vocabatur μεγάλη θεοῦ δύναμις, Act: 8. v. 10.
non tamen erat. Diana Ephesiorum indigitabatur magnum
numen, & tamen nil erat, nisi superstitionis idolum; Act: 19. v. 27. Pharisæi & Scribæ ab omnibus vocabantur legis inter-
pretes & legis periti cùm tamen nec ipsi legem rectè intellige-
rent, multò minus aliis dextrè explicare possent &c. Quare
frustrà apud Pontificios quoq; jactatur nominis catholicus per
orbem receptus. Non enim attendendum est quid fiat ex anti-
quà consuetudine, sed quid fieri debeat. Quando verò à nostris,
præsertim iis qui sunt ex plebe, catholici dicuntur, tum ita nomi-
nantur vel secundum illorum opinionem vel δοξασικῶς, qui no-
men sine re possident. Maneat ergo hoc certum & indubitatum:
quod fides catholica primariè inde sic dicta sit, quia omnes articuli
eius eum ipsa S. Scripturæ, seu Prophetarum & Apostolorum doctrinæ
omni ex parte consentiunt. Td enim κριτικὴ non tam universa-
litatem loci, quam doctrinæ Apostolicæ propagationem, qua ἐν
ἐλπὶ τῷ κόσμῳ facta est, & liberam Evangelij prædicationem de-
notat. Nec adversarios quidquam juvat, quod religio nostra à

primo reformationis in Germania ministro, Luther omen acciperit, & Lutherana dicatur, quasi fidei nostrae primus autor & inventor sit Lutherus, quo sensu Lutheranos nos dici aut esse simpliciter negamus. Nam primò non est universale sed contingens & particulare, hæresin quandam ab aliquo homine, authore suo nomen accipere, & Christianū nomen relinquere iis, à quibus discedit. Dantur quippe & inveniuntur hæreses, quæ non ab homine, sive authore, sed à doctrinâ, loco & similibus nomen habent: & inveniuntur, quæ non relinquunt Christianum nomen, sed ipsum sibi arrogant. Nam Marcionite & Valentiniani se catholicos & orthodoxos dici voluerunt, cœteros hæreticos appellabant. Novatiani se puros appellabant, cœteros omnes impuros. Ita etiam olim Ariani orthodoxos appellabant Athanasianos. Vehementer igitur probamus illud Chrysostomi, hom: 33. in Act. dicentis: *Nobis nullus vir nomen dat, sed sola fides.* Et illud Athanasi serm: 2. contra Arianos: *Nunquam populus ab Episcopis suis, sed à Domino, in quem ereditum fuit, nomen accepit: certè à beatis Apostolis, Praeceptoribus nostris, appellations adepti non sumus, sed à Christo Christiani sumus, & nunquam, illi verò, qui aliunde originem fideisua deducunt, merito authorum suorum cognomenta pra se feruntur.* Hæc ille. Deinde doctrina nostra non est nova, sed verè Apostolica, & omnibus seculis extitit, licet non semper eodem modo: quare etiam verè sumus catholici, licet nunquam tales vocaremur. Hinc Lutherus, cum videret nomen suum turbas in Ecclesiâ dare, Tom: 2. oper: Jenensi ita scriptis: Tom: 2. Jenensi: *Ich bitte / man wolle mein Nahmens schweigen / vnd sich nicht Lütherisch / sondern Christen nennen.* Was ist Lüther? Ist doch die Lehre nicht mein. So bin ich auch vor niemandt gecreuziget. S. Paulus 1 Cor. 3. wollte nicht leiden/ das die Christen sich solten heissen Paulisch oder Petersch sondern Christen. Wie keime denn ich armer stinkender Madensack darzu/ daß man die kinder Christi sole mit meinen heillosen Nahmen nennen? Niche also lieben Freund/ last vns tilgen die parchesischen Nahmen vnd Christen heissen/ des Lehre wir haben.

XLI. Quartò APOSTOLICA vocatur Ecclesia, quia per Apostolos in N. T. est plantata, & super doctrinam, quam illi à Prophetis

tis & Christo ipso acceperant, traditam, est fundata: Ephes. 2. v. 20.
Propagatur enim & conservatur per doctrinam Apostolicam, quæ
complementum veteris Prophetiæ declarat.

XLII. Specialius adhuc distinguitur Ecclesia *ratione temporis*
incarnationis Christi, in Ecclesiam V. & N. T. De illa sonant hæc
dicta Num: 20. v. 4. Deuter: 23. 1. Act: 7. 38. de hac in Actis Aposto-
licis & Paulinis Epistolis passim. Eadem in *primitivam*, quæ ab A-
postolicis est constituta, & *successivam*, quæ ab aliis distinguitur.

XLIII. Præterea Ecclesia universalis distinguitur in *Militantem*,
quæ adhuc est in viâ, sub cruce & *Triumphantem*, quæ ad coele-
stem quietem translata, summâ ibi beatitate fruuntur & à labore pu-
gnandi & succumbendi periculo liberata, contra omnes potesta-
tes adversarias jam triumphat. Videantur loca Scripturæ: Psal:
59. v. 13. & 126. v. 5. 6. Ephes: 6. v. 10. 11. 1. Petr. 5. 8. 9. Hebr. 12. v. 22.
& 23. Ratio appellationis petita est ex sequentibus dictis: Apocal: 2.
v. 10. & 26. 27. c. 4. v. 4C. 7. v. 9.

XLIV. Neq; verò cum has differentias constituimus, gemi-
nam Ecclesiam, aut sponsam Christi geminom, (licet jam nobis
uti verbis Mornæi, quæ habet I. de Ecclesiâ, pag. 14) sed unicam,
duntaxat, alio atq; alio modo consideratam credimus, hanc her-
bescensem, illam efformatis maturisq; granis divitem, hanc in areâ,
illam in horreo reconditam, hanc in fodiâ, illam perpurgatam,
hanc impuri mundi perturbationibus circumfusam, illam coram
sponso nullâ rugâ aut maculâ foedatam. Hactenus de Ecclesiâ De-
finitione & Divisione; nunc agendum erit de NOTIS ejusdem, al-
tero Disputationibus nostræ membro.

XLV. Magni verò momenti est, quam jam aggredimur, dispu-
tatio de *Notis*, & quidem essentialibus Ecclesiæ in his terris, ex qui-
bus indubitate agnoscit, & ab omnibus aliis congregationibus dis-
cerni possit & debeat. Quà quidem in re si inter nos & adversarios
convenire posse, nulla supereret disputatio, ut rectè judicat ipse
Bellarm; lib: 4. de Ecclesiâ in principio. Ut autem in negotio hoc
arduo diligentiam, quoad ejus fieri potest, adhibeamus, dispicien-
dum erit primo, quanam Nota vera & genuina sit natura: secundo,
quanam Ecclesia DEI certa & infallibilis sint nota.

XLVI. Nota, describi potest, quèd sit signum, quo res, quæ in
qua signum venit, certè cognoscitur: diciturq; à nescendo. Dividi-

ter

tur ea in **communem** & **propriam**; illa, est, quæ rem notat certitudine probabilitatis: **Hæc**, quæ rem denotat certitudine evidentiæ, & hic tantum intelligitur. Nota propria porrò est vel **insita**, vel **assumpta**; illa est, quæ dicitur ex formâ rei internâ, seu differentiâ specificâ. **Hæc**, quæ ex formâ externâ, proprio effectu, vel etiam adjuncto. **Affectio** & **proprietas** notæ spectatur in **genere** & in **specie**. In **genere** omnis nota debet esse **vera**, & **certa** & **clara**. Nam si non est **vera**, non ostendit veritatem in re. Si non est **certa**, non est **justa**; Si non est **clara**, notatur, non notat. Hinc etiam axioma-ta illa: **Omnis nota** debet esse **vera** in **se** & **notior** re notificanda ratione potentie cognoscendi: Debet esse **causa** certæ conclusionis. In **specie** nota communis debet esse determinans & determinabilis. Ratio prioris est, quia si nihil determinet, nihil quoq; notat, & ita non est nota. Ratio posterioris est, quia, quod commune est, id rem singularem determinare non potest: sed determinatur ab alio. Itaq; notarum communium ea est natura ut certò non notent, nisi eâ certitudine, quam diximus probabilitatis, ac non concludant necessariò. Nota propria debet esse singularis, reciproca, inseparabilis & distinctiva. Debet esse singularis, h. e. rei singularis unius, solius & semper. Itaq; nota propria debet competere notato omni, soli & semper. Eadem debet esse reciproca, seu adæquata, h. e. æquè latè patere cum suo notato, ne illo sit latior vel angustior. Tertiò debet esse inseparabilis; nam, quod notato npi competit perpetuò, quomodo potest notatum certò demonstrare omni tempore. Deniq; requiritur, ut sit causa distinctæ cognitionis, h. e. ut distinguat suum notatum à quibusvis aliis rebus. Hoc omne una illa maximâ comprehendi solet: **Tres** debent esse conditiones notæ propriæ: denotare 1. veritatem in re: 2. veritatem in evidentiâ rei, & 3. necessitatem rei illius perpetuam.

XLVII. Ab hypothesi ad thesin descendentes, dicimus; notas Ecclesiæ debere esse proprias: & in hoc nobiscum Adversarij consentiunt: Ita enim Bellarm: lib:4. de Eccles: c. 5. loquitur: **Notæ**, quibus Ecclesia discernenda est, primò propriæ, non communes esse debent. **Sesundò**, re ipsa, quam illustrant, notiores: **Tertiò**, inseparabiles à re Ecclesiæ; **Ex** quibus nempe non conjecturalem sed infallibilem certitudinem Ecclesiæ habere possumus; ut idem loquitur cap. 10. Illud tamen

tamen probare non possumus quod l. c. dicit: Rem non esse designandum per notas, secundum rem proprias, nisi & propriæ sint ei opinione aliorum. Sic enim nullius rei aliis dubiæ posset dari nota certa, quæ evidenter ab aliis dignoscetur; deinde rei proprietas & nota dependeret non à reipsâ, sed nostra opinione, quod ridiculum est.

XLIX. E quibus ὡς ἐν παρόδῳ colligimus; notas Adversariorum, sive Bellarminianas, sive Valentianas, sive Pistorianas, sive Costerianas, ad Lydium hunc lapidem examinatas, aurum esse sub æratum & κιβδηλον; plerasque sc. vel esse notas, vel certò non esse proprias & infallibilis. Nam quædam earum non convenient notato, Ecclesiæ scilicet: ut, Ecclesiæ non competit, dependere à Papâ Romano in omnibns; hujus enim dependentiæ nullum in Scripturis extat fundamentum: Nec infallibilem esse & immunem simpliciter ab erroribus. quum nullum ejus infallibilitatis extet privilegium. Sic etiam Ecclesiæ particularibus pluribus non competit, durare usq; ad novissimum diem: Gloria miraculorum, Lumen Propheticum, Felicitas temporalis, cœpisse Hierosolymis &c. Nonnullæ verò è notis ipsorum, convenient quidem Ecclesiæ, sed non soli, & ob communitatem suam aliis cœtibus applicari possunt, adeoq; non discernunt Ecclesiæ veras à falsis; Quales sunt: distinctio à Judaica synagogâ: Sanctitas professionis & sacrorum externa: Duratio diuturna: Successio, Ordo, Visibilitas, Felicitas, &c. quæ omnes cadere possunt etiam in falsam Ecclesiæ. Quædam Adversariorum notæ non sunt perpetuæ, vel inseparabiles ab Ecclesiæ, ut: Externus splendor; nomen Catholicum; quod non reciprocatur cum notato; similiter Antiquitas; Amplitudo nec essentialis nec propriæ Ecclesiæ sunt notæ, sed communes affectiones, & accidentariæ. Denique nonnullæ minus notæ sunt quæ notatum, utpote: Sanctitas primorum Patrum Christianæ religionis; Perpetua verorum & legitimè votatorum, eorumque purorum Doctorum successio; & tandem Infallibilis Spiritus S. assistentia: quam etiam pro notâ non agnoscit Valentianus. quippe minus notam, quæ est ipsa Ecclesia: tom. 3. Disput. l. q. l. p. 7 pag. 200. Et ut verbo uno exprimamus mentem nostram: Romanensium notæ vel non sunt verae notæ, vel certè saltem sunt communes, impropriae, nec necessariae sed verosimiles tantum, vel denique si veræ sunt, & infallibilis, cum nostris exdem sunt. Singulas

gulas illas pluribus hic examinare non est instituti nostri; Nos tamen veras, proprias & essentiales notas proponemus.

XLIX. *Duas autem Ecclesiæ damus & constituimus notæ in extrinsecas* (nam extrinsecas & accidentales posse dari plures, non negamus.) 1. *Verbi sinceram prædicationem, & 2. Legitimam Sacramentorum administrationem.* Non tamen sunt hæc ita simpliciter accipienda, quasi nulla omnino possit esse Ecclesia, in quā non simul sint hæc notæ, sed *analogicæ*, tum quod sint in unâ magis quam in alterâ, ut magis in florente, quam in pressâ, magis in Ecclesia N. T. quam V. T. & in hoc magis in iis, qui N. T. primis temporibus viciiores, quam quæ ab illis absunt longius: tum quod pro Sacramentis prius fuerint Sacrificia cœlitus accensa, tempore bene longo, ut etiam crebræ DEI visiones & cum Patriarchis iustituta crebro colloquia visibilis hujus verbi, seu Sacramentorum vicem suppleverunt hominesq; pios de gratiâ DEI confirmarunt. Ideoque si strictè loqui volumus, una propria, essentialis & semper necessaria Ecclesiæ nota est. *Verbum DEI*, quo cunque illa consideretur modò; nam sine Verbo DEI simpliciter esse nequit. At Sacraenta Ecclesiæ sunt necessaria, saltem secundum quid & definite; scilicet quatenus Ecclesia est visibilis & conspicua. Sic scribit Lutherus in lib. de Concilio. *Si nullum aliud signum conspici posset, præter hoc unicum, quæ veram prædicationem Evangelii satu[m] esset hoc ad convincendos animos, quod ibi esset catholica Ecclesia:* Et D. Bugenhagius in Comment. super Psalm. 110. non male hac de re scriptum reliquit, pag. 613. *Non ignoravit, qui corda condidit, quæ in firmi simus fide, ideo signa externa semper addidit, quibus confirmaretur fides nostra in promissiones & verba DEI.* Et ideo nobis quoque externa Sacraenta dedit quasi sigilla, quibus sua verba, quæ sunt veluti Scriptura, sed in corde scripta, imbecillitatem fidei nostræ confirmaret. Sigilla sine Scripturâ nihil sunt, Scripturâ addita fidem verbis scriptu faciunt. Verba non sunt propter sigilla, sed sigilla propter verba. In verbis tamen voluntas declaratur, sed tamen fidei imbecillitas signum quoque postulat. Hæc ille; unde riotamus. Semper addita fuisse verbo signa, sed non uniusmodi neq; semper eadem. 2. Ut Apostolus Ecclesiam confert in V. T. infanti, in N. T. viro, illam nocti, hunc diei, ita etiam signa alia atque alia in eâ. 3. Sigilla esse propter verba.

L. Sed

L. Sed hic circa priorem notam diligenter observanda venit distinctio illa inter Verbi divini seu veritatis cœlestis considerationem essentialē & accidentālē. Illa ratione veritatis cœlestis simpliciter & præcisè est necessaria; neque sine ea Ecclesia ullo tempore esse potest, hinc enim ab Apostolo vocatur *sùa* *veritas* *de patribus* *et filiis*, 1. Tim. 3. v. 13. Servatur itaque veritas verbi divini in Ecclesia, sive extrinsecus prædicetur, sive tantum animis fidelium foveatur, eademq; conservat Ecclesiam tanquam fundamentum, cui superstructa est Ecclesia: Ephes. 2. v. 20. Hæc ratione sc. consideratione accidentali, quatenus nimirum prædicatio verbi attenditur; tum verbum prædicatum iterum dupliciter consideratur: *absolutè* quæ prædicatur, & *modificatè*, in quantum sincere, prædicatur. Unde alii distinguunt in sincere prædicatione *id quod DEI est*, ab eo quod est *hominum*. Verbum simpliciter divinum est, absolutam DEI veritetem continens: proinde id, (ut jam ante dictum) simpliciter est necessarium, neque ullo tempore aut modo ab ea separari potest. Prædicatio vero verbi, est actus humannus, & index illius prioris notæ. Sinceritas deum est modus hujus actionis, nempe prædicationis & professionis. Prædicatio ergo & sinceritas prædicationis non semper, neq; *absolutè* competunt Ecclesiæ, quem omnino possint conservari fideles, etiam si aliquando præco-*nio* verbi DEI, vel saltem prædicationis sinceritate destituantur & professionem fidei non edant.

L. De Sacramentis hæc addimus: ea non esse simpliciter & *absolutè* necessariam Ecclesiæ notam, sed tantum ex eo tempore, quo Deus illa ordinavit; & ex hypothesi mandati divini. Nam 1 diu ante circumcisioνem nulla fuere Sacra menta, sed sacrificia usitata. II. Circumcisio in deserto fuit intermissa diu. III. Agni Paschalis celebratio ordinaria tantum erat observanda in terra sancta. IV. Sacra menta sunt sigilla: Sigilla autem licet defint, res salva tamen manet. V. Liquet hoc ex iis, qui ante octavum diem in V. T obiere, & infantibus Christianorum, qui baptisati nequeunt. Ubi autem Sacra menta jam vigent & haberi possunt, ibi omnino sunt usurpanda, quia DEUS severè nobis mandavit, ut à se jam constituta ad salutem nostram adhibeamus.

LII. Quod si ergo jam queratur de Ecclesia Invisibili, in quo-

nam cœtu DEO colligatur Ecclesia, vel communio sanctorum: Dubi-
um nullum est, quin omnes admissi sint, quod in illo cœtu DEO
colligatur Ecclesia in quo Verbum recte docetur, & Sacra-
menta administrantur juxta institutionem Christi, nam per hæc media sibi
DEUS colligit Ecclesiam. Porro, cum diversi sint cœtus visibles,
in quibus Verbum docetur, & Sacra-menta administrantur, distin-
guendum inter ipsum Verbum, &, quæ adduntur verbo traditiones
& explicationes humanas: ut & Sacramenti essentialia à circum-
stantialibus accuratè sunt discriminanda. Nam quatenus verbum
divinum docetur, præligitur, evolvitur, & quatenus Sacra-menta in-
tegra retinentur, quoad substantialia, ut ut lolium traditionum hu-
manarum admixtum sit, & quantum ad circumstantialia Sacra-
mentorum usus quodammodo defasletur, nihilominus per Ver-
bum & Sacra-menta DEUS efficaciter operari potest nonnullorum
conversionem & regenerationem, quum ob extrinsecè accessoria
quædam DEUM ordinationem suam deserere, non sit vero simile,
nec culpam Pastorum ac Doctorum teneantur præstare oves vel au-
ditores. Ita quamvis status Ecclesiæ Judaicæ corruptissimus fuerit,
temporibus Christi & Apostolorum: dicitur tamen Actor. 15. v. 21.
quod Moses a temporibus antiquis habeat in singulis civitatibus, qui eum
prædicent in Synagogis, & per omne Sabbathum legant. Quis vero
dubitaret, apud quosdam saltem Verbum prædicatum fuisse efficax?
cum nunquam revertatur vacuum, Esai. 55. 10. videantur hic etiam
illa, quæ suprà th. 33. diximus de Ecclesiâ in Papatu. Placeat hic ap-
ponere verba Dn. D. Mylii, hanc nostram sententiam ulteriùs ex-
pli-cantia; quæ habentur in Explicat. August. Confess. artic. 7. mem-
br. 3. fol. 119. Distinguit vero inter Ecclesiam præcisè & simpliciter
sic dictam, & veram Ecclesiam his verbis: Differunt ut plurimum;
Ecclesiam esse, (quod cum vitio conjunctum esse potest) & esse veram Ec-
clesiam: sicut Christus inter discipulos & verè discipulos accuratè di-
stinxit Joh. 8. v. 31. Ecclesiam simpliciter, quemadmodum facit, ita
monstrat, etiam filius Verbi & Sacra-mentorum usus: & sic quidem
monstrat ut, quamvis falsa sit Ecclesia, aliquos tamen in eo, cœtu ele-
ctos esse minimè duditandum sit. Ad veritatem Ecclesiæ probandam
majus aliquid requiritur. Si itaque ulterius queratur, quisnam cœ-
tus pro verâ Ecclesiâ agnoscî & haberî debeat, in quâ DEUS vel ma-
gnam

gnam, vel aliquam saltēm piē fidelium & salvandorum partem sibi colligat, adeoque in quonam cātu maximē oporteat quārere fideles, & salvandos, & ex quibus notis id infallibiliter constare possit? Hic quidem citra controversiam ea ab omnibus dicitur vera Ecclesia, in quā Verbum recte & sincere præditatur, & Sacra menta ad ministrantur legitimē. Nos facemur, inquit Valentinianus lib. 3. disp. 1. pag. 7. col. 181. neque veritate doctrinæ, neque legiti mo Sacramento rum usū Ecclesiam Christicarere posse, & apud quos omnino hæc sint salva, ex iis constare veram Ecclesiam.

LIII. Tandem, quod doctrinæ cœlestis prædicatio & legitimus Sacramentorum usus vera Ecclesia, certis γνωστογραφiis ab aliis discernendæ, veræ, propriæ & essentiales sint notæ, probamus I. Testimonio Scripturæ: Psalm: 147. v. 19. 20. Esai: 2. v. 2 3. cap. 59. v. ult. Matth: 28. v. 19. 20. Luc: 16. v. 29. Joh 10. v. 27. Rōm: 10. v. 14. Galat: 1. v. 8: &c. II. Rationibus. 1. Quia eam semper ostendunt & manifestant. Nam omnis effectus proprius certò & infallibiliter ostendit suam causam; seu, omne officium proprium certò & infallibiliter ostendit suum subjectum: At vero prædicatio Verbi & Administratio Sacramentorum est effectus proprius, sive officium proprium Ecclesiæ, ita, ut sub ejus latitudine comprehendatur omne id, quod ad officium visibilis Ecclesiæ & externæ pertinet: E. prædicatio Verbi DEI & administratio Sacramentorum certò ostendit Ecclesiam. 2. Quia hæc γνωστογραφiasoli Ecclesiæ convenientiunt, & semper; sunt enim bona Ecclesiæ propria, & extra eam non reperiuntur, hinc enim illud: extra ecclesiam nulla est salus. 3. Hæc duo distinguunt Ecclesiam à quibusvis aliis cœtibus, à sanâ doctrinâ deficitibus, & in optimis Ecclesiis particularibus semper fuerunt. Semper cum dicimus, à tempore constitutionis & promulgationis singula æstimamus. Verbum & Sacra menta sunt Ecclesiæ bona, sed & DEI dona, ergo, ut, & quando à DEO præbentur, ita ab Ecclesiâ & tum habentur, actenentur. 4. deniq; hæc duo adæquantur Ecclesiæ, seu æquè latè patent Ecclesia, & prædicatio Verbi DEI, conjuncta cum administratione Sacramentorum. Tantum etiam de NOTIS ECCLESIAE, sequitur Tertium Disputationis nostræ membrum de Autoritate eiusdem.

LIV. Ne vero hæc disputatione nostra nimium excrescat justumq;

modum excedat, breviter hanc de re sententiam nostram propone-
mus, afferentes: *Autoritatem Ecclesie totam dependere ab autoritate
Scripturae, adeoq; illa posteriore esse.* Interim tamen hoc fatemur:
Ecclesiam, ut fidem custodem, Scripturam apud se depositam
asservare. *Officium itaq; Ecclesie circa Scripturam est triplex:*
1. *Discernere Scripturam S. à prophâ;* Canoncam ab Apocryphâ.
Habent quidem libri divini, quia divini sunt, sive D E I Verbum,
viam divinitus inditam, per quam animos hominum moveant, &
in eis sibi de suâ à D E O autore derivatâ veracitate ac patefactâ do-
ctrinâ fidem faciant; ad convincendos tamen animos illorum, qui
veritatem religionis Christianæ, adeoq; ipsius Scripturæ autorita-
tem in dubium vocant, vel etiam planè ludibrio habent, utendum
erit argumentis inducentibus, ab Ecclesiæ iautoritate externâ de-
sumis, fidemq; humanam gignentibus, deinde & in discernendis
libris Canonicis ab Apocryphis Ecclesia testimonium perhibet, &
ostendit quinam libri sint verè divini, quinam vero vel suppositiij,
vel incerti, vel pro genuinis in Ecclesiâ nunquam habiti. 2. Alterum
Ecclesiæ officium est; *Scripturam S. juxta analogiam fidei explicare.*
3. *publicè predicare;* quia est velut præcô, & veritatis columna, sed
ea, quæ superstructa est fundamento, à quo si deficiat, corruit, &
proinde tum demum credimus Ecclesiæ quando illa sequitur Chri-
stum, præeuntem vocem, qvam hic sit unicus & verus Pastor, nos il-
lius cives, velut oves.

LV. Magna itaq, Ecclesiæ autoritas est, tam apud renatos,
quando secundum Scripturam pronunciat, quam apud non renato-
res, qui pravo carnis judicio seducti credunt potius Ecclesiæ seu
hominibus multis quam Spiritui S. ejusq; verbis in Scripturâ,
quod etiam suo exemplo probavit olim Augustinus lib: contra
Epist: fundam: cap: 4. scribentis: *Evangelio non crederem, nisi me
catholicæ Ecclesia commoveret autoritas:* non tamen illa autoritas
est absoluta, sed limitata, & Scripturæ S. alligata: *Esai: 8. v. 20.*
Joh: 8. v. 31.

LVI. Coeterum, ut rectius constet, quidnam Ecclesiæ autori-
tas valeat, diligenter hic observandum est, illam duplē esse: *ex-
ternam unam, internam alteram.* Externa, quatenus ipsa Ecclesia
hodie est congregatio & multitudo amplissima, & nobilissima,
complexa

complexa florem generis humani. Quidquid enim inter homines eruditum est, & animos habet disciplinis imbutos, & proinde de rebus ac religione judicandi & vera à falsis dissernendi soleritatem polentes, id totum fermè intra Ecclesiæ pomaria continetur: quod extra eam deprehenditur, ferè rude & barbarum est, cuius judicium nemo prudens magni fecerit. Sub initium nascentis Ecclesiæ aliter res sece habebat. *Non enim in eâ erant multi sapientes, non multi-potentes, non multi nobiles*, 1. Cor: 1. 26. Hæc autem Ecclesiæ autoritas, quam diximus externam non nisi humana est, nec fidem parit nisi humanam, magis apta svadere & inducere, quam convincere. Et *quum prima Ecclesia deesset, locum ejus supplebant miracula*; DEUS enim cœtui suo semper præstd esse voluit, quo homines comiter ad agnoscendam & amplectendam veritatem induci possent. Quanta tamen & qualis sit ista autoritas, non capitur nisi ab hominibus rerum humanarum peritis, & status mundani gnaris, atq; adeò comparationem inter populos, qui intra & extra Ecclesiam sunt, instituere doctis.

LVII. Alia est autoritas Ecclesiæ propria, sed nemini infidelium cognita, quam jam ante Internam diximus. Hæc enim ipsa Ecclesiæ comperit per peculiarem gratiam & assistentiam principis sui capitisci Christi & Spiritus S, per quam sit, ut *universa* in rebus fidei seu ad salutem necessariis errare nequeat. Et hactenus *Catholica* sive Universalis Ecclesia infallibilis atq; adeò *columna & firmamentum veritatis* est, quod elogium ipsi tribuit Apostolus 1. Tim:3. v.15. Particulari Ecclesiæ id ipsum competit non absolute & simpliciter, sed quousq; catholicæ vivum & verum membrum esse perseverat. Et sicut particularis Ecclesia potest deficere, ita etiam hoc elogium amittere. Inde dixit Tostatus, p̄f̄sat: in Matth. q. 13. *Soli Ecclesia universalis convenire, quæ nunquam errat, quia nunquam tota errat.* Et id: ad prolog: 2. in Matth. q. 4. *Ecclesia Latinorum non est universalis Ecclesia, sed quedam pars ejus: id est, etiam si ipsa tota errasset, non tamen errabat Ecclesia universalis, quia manet Ecclesia universalis in partibus illis, quæ non errant, sive ille sint plures numero quam errantes, sive non.*

LVIII. Esse verò Ecclesiam hoc, quem diximus, modo ab erroribus immunem, non constat, nisi ex promissionibus Christi, quas

scri-

Scriptura proponit Joh. 14. v. 16. Matth: 28. v. 20. cap. 16. v. 8. Non itaq; presumdabunt persecutiones, non inundabunt flagitia, non oppriment hæreses vel errores, qui fundamentum salutis evertant.

LIX. Quoniam igitur hæ promissiones & his innixa infallibilitas & auctoritas per Scripturam innoscunt; manifestum est, infidelem, & qui Scripturam non agnoscat vel admittat, hac ipsa auctoritate ad Scripturam vel religionem amplectendam moveri non posse. Res adeò est clara, ut coegerit Francisc. Suarez tractat: de Fide disp: 3. sect: XII. reprehendere illos, qui docent: quod fides nostra resolvatur in auctoritatem Ecclesie, Nam si id intelligent, inquit, de illa auctoritate, ut humana est, omnino falsum dicunt, quia illa non est fundamentum fidei. Si vero loquuntur de auctoritate Ecclesie, ut regitur à Spiritu S. sic non sufficit illam credere vel illi credere fide acquisitam, sed necessarium est credere fide insusq; quæ resolvenda est in illud principium: Quod DEUS dixit & promisit assistentia uero Spiritus S. suæ Ecclesie. Q' ita necesse est tandem recurrere ad illam doctrinam traditam, immo Scripturam. Auctoritas itaq; quam humana maiorem Ecclesia obtinet in ordine ad nostram cognitionem ab auctoritate Scripturæ pendet, non hæc ab illa. Interim, qui alteram cognoscere & estimare potuerit ut sanè potuit Augustinus, ei fuerit non modò occasio credendi, sed etiam motivum, quo ad credendum invitetur & inducatur. Hac itaq; se commotum, &, ut Scripturam admireret, inductum fuisse, affirmare Augustinum nihil est mirum. Hæc de Autoritate Ecclesie sufficient.

LX. De Regimine, potestate & Jurisdictione (liceat hac voce jam uti) Ecclesie, quarto & ultimo disputationis nostræ membro, duo hic notamus. 1. Cuiam regimen Ecclesia competit. 2. quot sint ipsius partes. De priori firmiter statuimus: Solum Christum esse Ecclesia caput, & ab eo immediate omnem potestatem ordinis & jurisdictionis habere omnes Episcopos. Hæc assertio, ut patet, duo habet membra: 1. Christum esse solum caput Ecclesie; quod ita probamus: 1. ex nomine & S. Scripturæ circa hunc articulum aperta & clara assertione: Ephes: 1. v. v. 22. c. 4 15. & c. 5. v. 22. Coless: 1. 18. vide etiam quæ suprà th: 35. diximus. 2. Ex omni & rei veritate: si quidem in nullo alio sunt, immo in nullo alio esse possunt, quæ requiruntur in capite hujus corporis mystici, quam in solo Christo.

Opor-

Oportet enim illud esse omniscium, omnipotens, infinitum, in omnibus tentatum, ut possit singulis membris *ουμαθησης*. Hebr. 4. v. 15. *ωδεσης*, 2. Tim. 4. v. 17. *βονησης* Hebr. 2. v. 18. c. 4. v. 16. vide etiam Acto. 4. v. 11. & 12. Eph. 5. 23. 24. &c.

LXI. Non ergo Papa Romanus est caput Ecclesiae: *Nam i.* hic titulus est talis, qui soli Christo debetur, & in Scripturā tribuitur: ubi observandum, esse aliquam diversitatem illorum, attributorum, quæ Christo in S. Scripturā tribuuntur. Quædam enim sunt Christo cum Apostolis aliosq; fidelibus Verbi ministris communia, ita tamen, ut Christo principaliter, his autem ministerialiter dentur., quæ omnia habeat vel per naturam, vel per unionis gratiam, omniaq; agat ab *Εγεγερταις*; hi autem ex ordinatione DEI in officio *οργενιας*; quædam sunt & manent ei propria videlicet illa, quæ denotant ejus officium proprium, ut: esse Ecclesiæ Regem; N. T. Sacerdotem, caput, Sponsum, *δεχιπομενα* &c. Ecclesiæ. Neque necesse est, ut, ubi quædam attributa communicantur, omnia omnino communicentur, quod patet in simili, à marito & uxore; nam, hæc ejus coruscata radiis, & quædam nomina ab eo capit, non tamen omnia.

LXII. 2. Papa Ecclesiæ caput esse non potest, quia Ecclesia non est *Pape corpus*. Probatur hoc: Quando ex professo tractatur similitudo de corpore humano, & Ecclesiæ applicatur, Rom. 12. 4. s. 1. Cor. 12. v. 12. Ephes. 4. v. 16. c. 5. 23. nunquam hoc corpus mysticum Papæ vel Petro, cuius successionem Papam esse volunt Romanenses, sed semper & soli Christo attribuitur, tanquam unico capiti. Nec sequitur quod, quum Ecclesia sit visibilis, etiam caput quodam visibile esse in his terris necesse sit. Non enim in omnibus accidentibus & qualitatibus caput hoc convenientiam habet cum corpore, alias sequeretur, quum membra hujus corporis sint mortalia, etiam de capite hoc esse afferendum. Vide hæc de re plura apud Flacium in lib. de controversiis religionis Papisticæ: & D. Gerhard. Tom. V. L. de Eccles. à pag. 118.

LXIII. Alterum assertoris nostræ membrum: *Omnes Episcopos* sive ab Apostolis sive ab Ecclesiæ vocatos, *immediatè Jurisdictionem suam à Christo habere*, probamus ita: i. Quà ratione Apostoli regimen & Jurisdictionem suam habuerunt, eadēmq; quoque

Episcopi habent, quia succedunt Apostolis: Atqui Apostoli suam potestatem, regimen & jurisdictionem à Christo immediate habuerunt. E. &c. Major satis per se est manifesta, nam successor auctoritatem suam habet ab illo, à quo Antecessor; & Bellarminus, adversariorum promachus, hoc ipsum concedit, lib. 4. de P.R. c. 22. & seqq. Minor probatur ex Joh. 20. 21. Act. 1. ubi Matthias sorte fuit electus, non autem ab Apostolis constitutus: & Paulus Galat. 1. v. i. expressè docet, sè autoritatem suam habuisse à Christo. Denique Apostoli à solo Christo sunt facti, Luc. 6. v. 13. Ephes. 4. v. ii. E. etiam à solo Christo omnem potestatem acceperunt. II. Ipsa Scriptura S. docet, Episcopos a Spiritu S: esse constitutos, & datos Ecclesiæ, Actor. 20. 28. I. Cor. 12. 28. Ephes 4.v.ii. Quare cum ibidem dicitur, Christum etiam dedisse Pastores, utique illi suam potestatem & jurisdictionem ab ipso quoque acceperunt. III. Quia Christus nullo unquam tempore imperium & jurisdictionem in Ecclesiam universam uni cuiquam commisit; in primâ enim institutione omnibus Apostolis aequaliter dedit potestatem & jurisdictionem: Ioh: 20 v. 21 neque postea, quia tum procul dubio unus aliquis eam exercisset, at nihil tale legitimus viventibus adhuc Apostolis esse faciat.

LXIV. *Partes potestatis, regiminū, sive Jurisdictionis Ecclesiæ* duæ sunt: Una consistit in potestate iuri condendi: altera in administratione disciplina Ecclesiastice. Quod attinet potestatem juris condendi, negamus, Ecclesiam, Concilia, Papam vel Episcopos posse suā auctoritate ferre leges: quæ in conscientiâ obligent: Faretur autem posse Episcopos & Christianos magistratus leges in Ecclesiâ ferre, quæ ad decorum & ēvangelium externam spectant; & eas quidem omnino esse observandas, sed aliter, quā illas leges, quas DEUS præscribit; non ut iis conscientia implicetur, nisi solū propter scandalum, & contemnum legitimæ auctoritatis; alias res ipsas esse ædilacögæs, seu medii generis. Si ergo contemnus appetat, aut scandalum, aut utrumque, tum peccare illos dicimus, qui has leges violant: sed negamus has leges conscientiam attingere, ut, si absit scandalum & contemnus superiorum, peccet contra Deum, qui aliter fecerit.

LXV. To-

LXV. Tota itaq; juris condendi potestas, quam habet Ecclesia & quam exercet vel in consilio, vel in presbyterio, est occupata circa ceremonias Ecclesiasticas, e. g. *Sanctificationes locorum, in quibus Verbum DEI publicè promulgatur & Sacra menta ad ministrantur*: Matth. 21. 13. Marc. II. v. 15 16. 17. 18. (ubi obiter notetur, antiquitùs templo semper fuisse clausa, quando in eis nulla publica religionis actio exhibebatur, quod hodiè quibusdam in locis non amplius observatur) it: *Sanctificatio diei Dominici, vel certe temporis, quo populus Christianus conveniat, & DEO cultum suum præster; & siquæ alia sunt hujus generis quæ ad disciplinam ceremoniarum spectant.*

LXVI. *Disciplina Ecclesiastica* est vel *communis*, vel *propria*. Illa ad omnes Christianos sine discrimine spectat, eosq; sibi subjicit, & *καὶ ἐξοχὴ* dicitur *disciplina Ecclesiae*, seu *Ecclesiastica*. Hæc ad solos Ecclesiasticos, quos vocant, seu ministros Ecclesiae pertinet, & alias Clericis dicitur. *Disciplina communis* rursus est duplex: *una vita & morum; altera pænitentie*, si quis gravius delictum commiserit. *Disciplina vitae & morum* in eo potissimum sita est, ut non publici modo Ecclesiarum ministri, (quamquam hi præcipue,) sed singuli etiam Christiani curam proximi sui gerant, in fide & cognitione Christi confirment, & ad progressus majores in via DEI faciendo hortentur. Ac si forte aliquis labatur, sive in errorem doctrinæ, sive in aliquid vitae & morum vitium, tum ipsi, qui stat, incumbit, ut errantem in veram viam reducat, & ab omnibus pravis actionibus summo studio revocet. Vide Galat: 6. v. 1. I. Thess: 5. v. 11. & 14.

LXVII. *Administratio* hujus disciplinæ fieri debet ab omnibus, in primis Ecclesiæ præfectis quorum est, studiosè hâc in re sarcire, quod à privatis fuerit neglectum. Cogitent nimicum sedulò, quos cunq; oibis suis præfecerit Dominus, ex ipsorum manibus requirendas esse, quæcunq; eorum negligentia perierint, juxta illud Ezech: cap: 3. v. 17. & 18. it: cap. 34. à vers. 1. usq; 11. Personet auribus & animis illorum semper gravissima illa Pauli admonitio, facta ad Presbyteros Ephesinos; Actor: 20. à versu 18, usq; 32. Sed & Magistratu Christiano cura & administratio hujus disciplinæ incumbit. Præterquam enim quod Principi fideli à DEO mandata est cu-

ra utriusq; tabulæ, ut intelligat, ad officium suum non civilem tantum rem, sed etiam sacram & Ecclesiasticam pertinere: DEUS s̄epe Reges in S. Scripturā jubet lucos succidere, idolorum statuas & aras evertere, librum legis sibi describere, & esse patronos atq; nutritios Ecclesię.

LXVIII. *Penitentiae disciplina* ad eos propriè pertinet, quivel contumaciter spernunt admonitiones, vel in graviora fuerint prolapſi peccata. Nam fideles Christi ministri in Ecclesię consortio tolerare non debent, nec ad Sacra menta admittere, quos non possunt ex fructibus ipsorum veros Domini discipulos & sectatores agnoscere. Qui in graviora peccata, h. e. flagitia & scelera ruunt, hisanē Christi jugum perfringunt, & à se abjiciunt, pietatemq; quam ore professi sunt, factis abnegant, neq; peccati hujus veniam consequi possunt, nisi impietatis suæ atrocitatem serio agnoscant, & deplorent, vivâ & efficaci poenitentiâ compuncti. Proinde est in munere fidelium curatorum Ecclesię, non solum ad veram animi poenitentiam de peccatis adhortari, verū etiam ad illam demonstrandam, & fructibus probandam Christi autoritate ligare, nec eo vinculo solvere, donec de verâ suâ poenitentiâ fidem Ecclesię fecerint, per fructus vero Christiano dignos: vide Matth:18. v. 18. 1. Cor. 5. v. 3. 4. 5. 2. Thess:3. v. 14. 15.

LXIX. *Modus hujus discipline* est institutionis Christi determinatio quædam pro ratione circumstantiarum: ita, ut peccata occultæ privatim, palam manifesta, publicè: itemq; leviora objurgatione, graviora, excommunicatione castigentur. 1. Tim: 5. v. 20. 1. Cor: 5. v. 13. Matth:18. v. 15. 16. 17. Severitas autem excommunicationis Spiritu mansuetudinis ita est temperanda, ne tristitia absorbeaturis, in quem animadvertisit: Galat:6. v. 1. 2. Cor. 2. v. 6. 7. 8.

LXX. *Disciplina* ministerorum Ecclesię propria, quæ alias *Clericalū* dicitur, continetur certis quibusdam canonibus, quos sibi veteres Episcopi, suoq; ordinii imposuerunt: Vide Canones Apostolicos 6. 19. 26. 41. 42. 44. 53. 80. 82. (qui vulgo à Pontificiis pro genuinis & verè Canonica autoritate præditis habentur, sed falsum est ab ipsis Apostolis Canones hos fuisse constitutos.) Hi verò Canones examinandi sunt ad illum canonem Spiritus S. qui est Actor: 20. v. 28. in Epistolis ad Timoth: & Titum: & 1. Petr. 5. Filum hic abrum-

absumptius & Ecclesiæ fundamentum & caput unicum, I. C. ro-
gamus, ut sibi apud nos quoq; servet Ecclesiam, eamq; contra in-
ferorum portas defendat. Amen.



Ne pagina vacaret, placuit sequen-
tes quæstiones ad præsentem materiam
pertinentes, unâ cum loco illo Lutheri,
quem suprà citavimus,
apponere.

- Quaritur 1. An qui baptizati non sunt, ad Ecclesiam per-
tineant? *Disting.*
2. An Lutherus *ναρθηκην* in Symbolo recte verterit
Christlich? *Affirm.*
3. An status Monarchicus Ecclesiæ competat ratione capi-
tis visibilis? *Negat.*
4. An Pontifici Romano, non ut ianti, sed ut Episcopo, propter
pacem & tranquillitatem Ecclesiæ concedi posset a-
liquis primatus Ordinis? *Affirm.*
5. An Ordines Ministeriorum Ecclesiæ admittant certos gra-
dus? *Affirm.*
6. An Apostoli Ecclesiam gubernarint Aristocraticè?
Affirm.

Locus B. D. Lutheri Tom. 6. Jen. pag. 92.
Es hat Gott mit Macht vnd Wunder erhalten/
daß dennoch unter dem Papst blieben ist / erslich
die Heilige Tauffe. Darnach auff der Canzel der
Text des Heiligen Evangelij in einer jeglichen
Landes Sprache. Zum Dritten die Heilige Ver-
gebung vnd Absolution / beyde in der Beicht vnd
öffentz

öffentliche. Zum Vierdten das Heilige Sacra-
ment des Altars / daß man zu Ostern vnd sonst
im Jahre den Christen gereicht hat / wiewol sie ge-
raubt haben die eine Gestalt. Zum fünftten das
Berussen oder Ordiniren zum Pfarr Amt / Pre-
dig Amt / oder Seelsorge / die Sünden zubin-
den vnd lösen / vnd im sterben oder auch sonst zu-
trösten / dann beh viesen der Brauch ist blieben /
daß man den sterbenden das Crucifix für gehalten
vnd sie errinnert des Leydens Christi / darauff sie
sich lassen solten. Zulezt auch das Gebet / als
Psalter / Vater unser / der Glaube vnd Zehn Ge-
bot: Zt. Viel guter Lieder vnd Gesenge beyde La-
teinisch vnd Deutsche / wo nun solche Stücke noch
blieben sind / da ist gewißlich die Kirche vnd etliche
Heiligen blieben / dann es sind alles die Ordnung
vnd Früchte Christi / aufz genommen der Raub
der einigen Gestalt / darumb ist hie gewißlich Christus
bey den seinen gewest / mit seinem Heiligen
Geist / vnd in ihnen den Christlichen Glauben /
erhalten. Wiewol es alles schwächlich zugangen /
gleich wie zur Zeit Elias / da sieben tausend so
schwächlich erhalten worden / daß Elias selbst mei-
nete / Er were allein ein Christ / dann so gewaltig
als Christus hat müssen erhalten die Tauffe / wi-
der soviel ErempeL der Werk vnd Secten / vnd
den Text des Evangelii / vnd die andern obgenan-
ten

ten Stück / wider so mancherley NebenLehre
von Heiligen / vom Abläß &c. Also gewaltig hat
er müssen erhalten die Herzen / daß sie ihre Tauf-
se / Evangelium &c. nicht verloren noch verges-
sen haben / bey so viel ergerlichem Wesen; Hat
auch gar stark müssen vergeben / vnd durch die
Finger sehen wo seine Christen zuweilen gefallen/
vnd betrogen sind / wie er S. Petro vnd den Apo-
steln hat müssen vergeben ihr verleugne. Sonder-
lich aber hat er müssen seiner armen Kirchen zu
gutt halten / das sie ohn ihren willen hat emperen
müssen / als mit Gewalt ihr geraubet die eine Ge-
stalt des Sacraments / vnd wenn sie gleich ihr
ganzes Leben wehren verführt gewest / hat er sie

doch am Ende heraus gerissen wie aus einem

Fewer als S. Bernhard / Gregorius /

Bona ventura &c.

*D*Esidice pullus, torpantis mysta vacuna
Serpent humi, segnis meliores deside vitâ
Annos infamec. Non horsum vertere curas
Mens WAGNERE tibi est, procul à te sperkere turpem.
Segnitiem accepsti, gnarus sic pergit, patris
Non fallas de te conceptam spem: sua vendit
Dona labore DEUS. Labor unus præmia larga
Expectat: sed aget deses in gloriis ævum.

In gratiam præstantissimi

Dn. M. JOHANNIS HENRICI WAGNERI

Johannes Quistorpius, D.
& Theol. Facult, Senior.

Clarissimo

Clarissimo atq; Eximio
Dn. M. JOHANNI HENRICO WAGNERO,

Dum, quæ sit sacræ collectio credula gentis,
Quæ genuina minus, docto spectamine monstras,
Ingentes, WAGNERE, Tibi communio sancta
Christigenū lœtata parat per solvere grates.
Patria certatim, tua cura, Ecclesia plaudit,
Et Lutherani quisquis commercia coetus,
Ast illibata cum religione, frequentat.
Mugiat horrendo Romana cathedra beatu
Falsaq; Te contra furibundo jactitet ore;
Increpet Esav; soboles rixosa, tuasq;
Obtuppare theses reprobo desideret ore;
Non oberit, quia vera doces, puerilia regni
Papalis sacra dum lance crepundia libras,
Quæq; habeat monstras Ecclesia deī regna Christi.
Scilicet haud regnum ficta aut successio Petri,
Sed sacri transmissa ad nos oracula Verbi
Et Sacramenti Scripturæ consonus usus.
His tua quum careat mentita Ecclesia, Papa,
Quis spuriam neget esse, licet non ærelavatus?
Perge ita lymphatos censurā carpere doctā
Errores, quos turba superstitionis profundit.
Perge ita, ceu nobis de Te spes optima fulsit
Quodq; ingressus iter, magnis conatibus urge,
Vidimus hic omnes quos te exantlare labores:
Olim scansurum sic summa cacumina laudum,
Sic prædulce decus, sic præsidiumq; futurum,
Sacra coronabit gens, & labor improbus olim:
Nominis & memorem tanti usq; merebore famam
Quæ referat pennā solvi metuente superstes.
Hæc etenim pietas, hæc sacra volumina Vatum,
Trita diu noctuq; ferunt, æternaq; tandem
Nunquam defessi speramus dona Talenti.

Sic accelerab.
M. Henricus-Conrad. Sarmischhausen.
• 9 (o) 9 •



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn73781814X/phys_0046](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73781814X/phys_0046)


DFG

ten Stück / wider so mancherley Nebe
von Heiligen / vom Abläß &c. Also gewa-
er müssen erhalten die Herzen / daß sie ihre
se / Evangelium &c. nicht verloren noch
sen haben / bey so viel ergerlichem Wesen
auch gar stark müssen vergeben / vnd du
Finger sehen / wo seine Christen zuweilen ge-
vnd betrogen sind / wie er S. Petro vnd de-
steln hat müssen vergeben ihr verleugne. Sich
aber hat er müssen seiner armen Kirche
gut halten / das sie ohn ihren willen hat ein
müssen / als mit Gewalt ihr geraubet die ei-
stalt des Sacraments / vnd wenn sie gle-
ganzes Leben wehren verführt gewest / ha-
doch am Ende heraus gerissen wie aus ei-
Fever als S. Bernhard / Gregorius

Bona ventura &c.

*D*esidie pullus, torpentis mysta vacuna
Serpat humi, segnis meliores deside vitâ
Annos infamet. Non horsum vertere curas
Mens WAGNERE tibi est, procul à te sperkere tur-
Segnitiem occepsti, gnarus sic pergit, patris
Non fallas de te conceptam spem: sua vendit
Dona labore DEUS. Labor unus premia larga
Expectat: sed aget deses in gloriis ævum.

In gratiam præstantiss
Dn. M. JOHANNIS HENRICI W
Johannes Quistorpiu
& Theol. Facult, Sen
C



the scale towards document